CHRISTOPHORI RANZOVII

Equitis Holſati

EPISTOLA

AD Eremi Montis Argentini

GEORGIUM CALIXTUM

Profeſſorem Helmſtedenſem

Qua ſui ad Eccleſiam Catholicam acceſſus rationes exponit.

Eremitar. Camaldul. Montis Argen.

SUPERIORUM PERMISSU.

EXCUSA ROMÆ M DC LXII,
Typis S. Congreg. de Propaganda Fide.
Recuſa WRATISLAVIÆ A. M DCC XIV.
Typis Andr. Franc. Pega,

Reverendissimo ac Celsissimo
Principi, ac DOMINO
DOMINO
FRANCISCO FERDINANDO
Ex
Baronibus de RUMMEL
Sacri Rom: Imperij PRINCIPI,
ac
EPISCOPO VIENNENSI &c.
Domino suo gratiosissimo
Salutem plurimam
à
Fonte Salutis!

Reverendissime ac Celsissime PRINCEPS

Domine Gratiosissime

VAriis commotus causis elegantem Generosissimi Ranzovii Epistolam Typographo dedi, ut eam denuò typis exscriberet. Nam initio gravissimas complectitur rationes, quibus ad Catholicam fidem amplectendam & Religionem Protestantium deserendam Ranzovius fuit inductus. Profectò si vel hodie mihi explicandæ forent causæ, propter quas ipsemet non sinè gravi familiæ meæ offensa sacra mutaverim, nullas magis prægnantes afferre nec possem, nec vellem, quàm quæ à Christophoro nostro facundè, & luculenter sunt expositæ. Deinde ex Viris Doctis intelligebam, multos ardenti

has

has literas legendi desiderio teneri, quorum voluntati servire cùm possem, æqvum & justum esse duxi, cùm facilè usu venire possit, ut lectione attentâ viri probi, & præjudiciis non penitus præoccupati aut excæcati agnitione Catholicæ Veritatis, divinô lumine internè mentem illustrante, svaviter imbuantur. Ego mihi vehementer gratulabor, si studium meum propagandi Religionem Catholicam non omni caruerit successu. Tandem felicem me eô Nomine prædico, quòd occasione iteratæ Editionis Ranzovianæ Epistolæ publicum humillimi mei cultûs, gratissimiq; animi monumentum Reverendissimæ Celsitudini Vestræ exhibere possim. Tanta, Celsissime Princeps, Tua in me sunt merita, tantisque me beneficiis clementissimè ornâsti, ut post Deum optimum Maximum ac Parentes nemini magìs, quàm Tuæ Celsitudini me obstrictum cum summa animi Veneratione agnoscam ac publicè prædicem. Tu, Reverendissime Princeps, me Pastorali ac paternâ solicitudine in Religione Catholica confirmâsti, viam ad Sacerdotij dignitatem munivisti, Sacerdoti quóq; de honesta statione providisti, imò, quæ abundantia Pontificalis

lis est charitatis, Præpositi munus, cui tanto splendore per multos annos ipsemet præfueras, in Ecclesia sanctæ Crucis, quæ, ùt semper, ità etiam hoc tempore Canonicos ex Principum, Comitum, ac Baronum familia alit, cum omnibus emolumentis mihi indulgentissimè cessisti. Dolebas equidem ex animo, quòd injuria temporis multa de primæva fundatione decerpsisset, quæ necessaria esse videbantur, ut antiquis familijs orti decorè vitam sustentarent. Ac valido Tuo Patrocinio adjuvisti, ut aliunde ab Augustissimo Imperatore suppeditarentur clementissimè, quæ ad necessitatem requiri videbantur. Quantus verò mihi meæq; familiæ exhibitus fuerit honor, ut à Vestra Celsitudine in hoc officio munificentissimè successor designarer, insipiens sim, nisi intelligam, ingratissimus omnium mortalium, nisi celebrem. Semper in animo & ore meo erunt Tuæ cumulatissimæ ac effusissimæ gratiæ, quibus dignè laudandis me imparem esse ultro fateor. Non eget etiam Tuum, Princeps Celsissime, celebratissimum per Europam nomen ullis elogijs. Quibus vultum Tuum coram videre non licuit, ad eos certè

latè

latè didita fama Tua pervenit. Et nonne ad sempiternam Tui Nominis memoriam satis est, quòd à Salomone nostri temporis Leopoldo M. Imperatore Augustissimo unus fueris electus, cui cura Josephi tum Archiducis, postmodum Cæsaris & Regis gloriosissimi sapienter educandi, ac instituendi committeretur? Quam spartam quomodo obieris, secula ventura ex historiarum monumentis perspicient, & divinas dotes Tuas admirabuntur. Hoc unum tacere nequeo, Te per tot annos in aula ità vixisse, ut supra invidiam seculi positus fuisse videaris; hoc certum est, quòd illam fræno undequáque commendabilis vitæ ità coërcueris, ut non inveniret, quod in Te arguere posset. Hoc fuit Tuum in animos omnium imperium, ut omnes de Te loqui cogeres, & omnes bene loqui. Tanta fuit Celsitudinis Vestræ innocentia, animi integritas & Virtus ac prudentia cum exquisita eruditione conjuncta, ut ab omnium judiciјs Tui existimationem extorseris. Ad Episcopi Viennensis fastigium, quod dudum Tuis meritis debebatur, evectus, spectandas orbi in Te virtutes exhibuisti, quas prisca secula in san-

sanctissimis Præsulibus fuerunt admirata. Ego Divinum Numen diurnis nocturnisque supplicationibus venerabor, ut Te Celsissime ac Reverendissime Princeps permultos adhuc annos vegetum ac incolumem servet, familiámque Tuam Illustrissimam omnigena felicitate beet ac tueatur. Vale quàm felicissimè decus & Ornamentum Præsulum; ità vovet

TUUS

Reverendissime ac Celsissime PRINCEPS

Dabam Vratisl. in Præpositura ad S. Cruc: A. 1714. Die 3. Maji, qui inventioni S. Crucis sacer est.

Humillimus Cliens, & Devinctissimus Capellanus.

ANTON: L. B. de WELCZIN
Præpos. ad S. Crucem.

Christianus de Helwich *Lectori benevolo salutem dicit.*

Postquam seculo decimo sexto integra regna, vastæq; provinciæ ab unitate Ecclesiæ Catholicæ in Europa recesserunt: nascendi sors infimæ pariter classis homines ac familias antiquitate ac dignitate illustres deplorando schismati involvit. Sed, quæ DEI singularis gratia est, jactura illa, tot gentium in Africa, Asia, America, quæ ab illo tempore incognitum olim sibi nomen Christi celebrare cœperunt, accessione ad Ecclesiam

abundè fuit reparata. Non pauci quóq; in Occidente fluctibus schismatis diu jactati ad portum Ecclesiæ feliciter appulerunt. Inter hos reperti etiam sunt, qui Principum sanguine sati, causas mutatorum sacrorum & suæ cum Ecclesia reconciliationis editis libris explicare non indecorum esse dignitati suæ existimârunt.

Præcipuè verò lectione dignissima sunt, & non sinè maximo emolumento ab ijs, quibus sua salus curæ est, evolvi possunt tria egregia scripta à totidem Principibus edita; quorum titulum adscribere non abs re fuerit. Tempore antevertunt reliqua Rationes Serenissimi Principis Jacobi Marchionis Badensis &c. typis exscriptæ Coloniæ A. 1591. in 4to. Unser von GOttes Gnaden Jacobs Marg-Graffen zu Baden / und Hochbergk / Landgraffen zu Sausenberg / Herren zu Röteln und Badenweiler / Christliche / erhebliche / und wohl-fundirte Motiven / warumb wir aus einigem eyffrigen Trieb unsers Gewissens / und zuförderst

derst allein zu der Ehre des Allmächtigen/ alsdann zur erlangung unserer Seeligkeit / und entfliehung der ewigen Verdamnuß nicht allein für unsere Person die Lutherische Lehr verlassen/ und zu dem Catholischen Glauben uns nothwendig begeben/ sondern auch unsere von GOtt anbefohlene Lande zu ebenmässiger wahrhaffter Religion anweisen/ und reformiren lassen müssen. Sequitur Secundum: *Serenissimi Principis Christiani Wilhelmi Marchionis Brandenburgici* &c. cujus inscriptio: *Speculum Veritatis Brandenburgicum*, Unser von GOttes Gnaden Christian Wilhelm Marggraffen zu Brandenburg/ in Preussen/ zu Stettin/ Pommern/ der Cassuben/ und Wenden/ auch in Schlesien zu Crossen/ und Jägerndorff Hertzo-

 gen/

gen/ Burggraffen zu Nürnberg/ und Fürsten zu Rügen ꝛc. Spiegel der Catholischen Wahrheit an die Königl. Würde zu Dennemarck/ neben dero Königl. Successorem &c. gedruckt zu Cölln A. 1638. in 4. quæ altera est hujus Operis editio. Tertium locum occupant *Conversionis ad fidem Catholicam motiva Serenis. & Celsiss. Principis ac Domini D. Ernesti Hassiæ Landgravij &c.* Coloniæ impressa A. 1672. in 4to, qui, ùt ex Epistola ipsius ad RR. DD. Adrianum & Petrum de Wallenburch liquet, suas *meditationes scriptô comprehensas* his ipsis Duum-Viris *extendendas commisit*, sicut Sereniss. Jacobus Badensis calamô Pistorii ùsus est. Hisce dignitate quidem inferiores, antiquissimis tamen & splendidissimis Familijs ortos adjungere licet *Joannem Baronem à Reck Dominum in Drenstenfort, & Wölpendorff &c.* ac nostrum *Ranzovium*, in quibus cum genere illustri illustris certavit eruditio & pietas, præcipuè cùm etiam ipse Serenissimus Ernestus horum

horum opuſcula poſt Sereniſs. Principis Brandenburgici ſcriptum ſuô Elogiô dignatus ſit, judicans, in trium horum Virorum ſcriptis *Univerſa ferè comprehendi, quæ in hac materia dici poſſunt.* Et Domini Baronis à Reck *Conſenſus veteris & moderni Papatûs* Germanico, & Latino idiomate aliquoties in publicum prodijt, alibíque fortaſſis uberiùs & de familiâ ac opuſculo Viri à nobis agetur. Ranzovij verò Epiſtola, quantùm equidem ſcio, non nisì Romæ ſemel typis exſcripta eſt. Quod Ranzovium ipſum attinet, natus is eſt ea domo, cujus Genealogiam Andreas Angelus, Hieronymus Henningius, Petrus Lomejerus, Heinricus Ernſtius, Caſpar Danckwerthius, Heinricus Bangertus, Jacobus Wilhelm. Imhoff, alijq; ſcriptores fuſiùs perſecuti ſunt: Nos ſola verba Clariſs. Viri Joann. Molleri ex pag. 218. in *introd. ad Hiſtor. Cherſoneſi Cimbricæ* hìc adſcribimus: *Inter nobiles, quæ etiamnum in Cimbria ſuperſunt, Familias, & vetuſtatis palmam ceteris præripit, & ab aliquot jam ſeculis eſt florentiſſima, ſcriptorùmque plurimorum beneficiô - - toto*

 orbe

orbe decantatissima Ranzovia. Per annos illa jam pene 800. & in nostra hac, cui originem suam debet, Chersoneso, & in Marchia Brandenburgica, Misnia, ac Lusatia Imperij Germanici Provincijs inclaruit, Heroum togatorum pariter ac sagatorum, quos inter antiqui Comites Groitzenses, Marchiones Lusatiæ, & Burggravij Cirnicenses locum sibi vindicant illustrem, Mater longè fœcundissima. H. I. Cui adde hoc, quòd Ferdinand. III. A. 1650. Christianum Ranzovium Comitem Imperij creârit, *arcémque ipsius, & præfecturam Barmstede in Comitatum Imperialem sub nomine Neü-Ranzow erexerit, addito jure loci, & suffragij tam in Comitijs Imperij Universalibus, qàm Diætis particularibus Circuli Westphalici, jure porrò territoriali, cudendi monetam auream, & argenteam &c.* ùt refert celeberrim. Imhoff *Notit. S. Rom. Germ. Imp. Procer.* Lib. 9. Cap. 7. pag. m. 461. Tantus erat noster Ranzovius familiæ, & Natalium dignitate; multò major proprijs virtutibus, eruditione ac singulari pietate: sicut hæc Epistola evidenter comprobat. Nam ut nihil dicam

cam de nitido ac eleganti quidem, gravi tamen, dictionis genere, quô Auctor usus est; magnam ubique Epistola hæc pietatem spirat, & locuples testis est, non vulgari antiquitatis notitia fuisse imbutum Ranzovium. Admirandus certè est selectus locorum ex S. Patribus adductorum, qui maturi judicij cerissimum est argumentum. Non postremum harum literarum etiam ornamentum est modestia & charitas, quæ adversariorum quoque nostrorum laudem provocavit. Verbô: tam præclarè scripta est hæc Epistola, ut alijs, &, ut nihil dissimulem, mihi ipsi suborta sit suspicio, Ranzovio nostro in eâ elaborandâ suppetias tulisse Lucam Holstenium Hamburgensem ab Urbano IIX. Canonicatu Vaticano, ab Innocentio X. præfecturâ Biblioth. ornatum, cui propter immortalia in rem literariam merita, & studium propagandi religionem Catholicam splendidum Monumentum sepulcrale Eminentiss. Cardinalis Franciscus Barberinus Romæ in Ecclesia Germanorum S. Mariæ de anima struxit, quod exhibet celeberrimus Lambecius in Append: *Lib. 6. Commen-*

tar. de Biblioth. Vindobonensi pag. 235. Quicquid sit summa cum utilitate hoc scriptum & à Catholicis, & alijs à Catholica fide adhùc devijs evolvetur, ideóque spero eruditis iteratam ejus editionem non fore ingratam. Quod si me spes eâ in re non fefellerit, dabitur opera, ut brevì sequantur motiva, quæ vocant, *Christophori Besoldi* ICti pietate & eruditione verè Magni, summo cum judicio & Zelo exarata, nec non opuscula Nicolai Stenonij Hafniensis Medic: Doct: & Archiatri Regij, ac Professoris. De quo duorum Lutheranorum auctorum testimonia adferam, ut qui Vir fuerit, meliùs elucescat, & lucubrationes ejus sitim Lectoris excitent. Primus prodeat Joan. Nicolaus Pechlinus in Consultat: *de optima Christianorum secta p.* 104. *Nihil omnium magis me commovit, vel offendit, quàm Nicolai Stenonij - - Apostasia. Erat enim, nisi me omnia fallunt, Vir naturâ probus, pacatus, cujus ego judicio & prudentiæ in rebus Medicis, atq; Mathematicis multum tribuere solebam. Adeò. NB. miraculo proximum duxi, ad sectam tam corruptam, nul-*

nullisque admodùm fundamentis innixam transijsse hominem Mathematicum, & demonstrationes sectari solitum. Transijt tamen accepta indè occasione, quòd fœmina quædam rarissimi amoris exemplo ignota se ei offerret, vel sanguinis sui jacturâ apostasiam ejus redimere parata &c. Hæc Pechlinus. Molleri verba de Stenon: in *Hypomnemat*: ad Librum *Alberti Bartholini de Scriptis Danorum p*: 350. & seq. hæc sunt: *Quoad Lutheranam profitebatur Religionem, in Anatome solus ferè inter modernos regnavit, in Mathesi autem & Physica exprimentali vix cuiquam fuit secundus. Postquam verò circa A.* 1675. *in castra Pontificiorum transijt, neglectis studijs istis Religioni Romano-Catholicæ propagandæ, libellisque varijs defendendæ unicè propemodùm vacavit, deinde autem, cùm Episcopus Titiopolitanus, & Vicarius per Saxoniam inferiorem Apostolicus Generalis ab Innocent: XI. esset creatus, Hanoveræ, & Hamburgi vitam reliquam NB. magna cum sanctimoniæ, & probitatis laude exegit, tandémque sexagenarius die* 25. *Novembr. Anno* 1686. *decessit.* H. I. Ego miraculo proximum,

mum, ut verbis Pechlini utar, duco, Stenonio à Lutheranis, quorum ſacra deſeruit, pietatis & ſanctitatis laudem non fuiſſe denegatam, (quamvis etiam quaſi miraculo opus ſit, ut cum omnibus terroribus, erroribus, amoribus vincatur falſa religio, in quâ natus ſis) etiam ab ipſo Pechlino, qui ea verborum accerbitate & affectata obſcuritate Stenonij unionem cum Eccleſia, ut audivimus expoſuit: Nihilominùs expreſſè ſcribit p. 106. *Enituit usque viri in vivendo ſanctitas & diſputationibus, quas ultrò citróque habuit, Epiſtoliſque, quarum unâ alteráque me quóque dignatus eſt, unicè charitatem, patientiam, moréſque Chriſti imitatione exprimendos propoſuit.* Nota aliàs ſunt temeraria Proteſtantium de ejusmodi viris judicia, & injuſtæ accuſationes, quibus conſilium eorum odioſiſſimè traducitur, nè converſionis proſint exempla alijs. Ipſe Sereniſſimus Haſſiæ Landgravius in laudatâ antè Epiſtola queritur ſe hanc iniquiſſimam ſortem fuiſſe expertum: *Spargitur*, inquit, *quaſi conſcientiâ non cogente, quaſi minùs debita inquiſitione prævia, quaſi non propter ſubſtan-*

tiam

tiam rerum sperandarum, sed propter fluxarum umbrarum temporales intuitus repudiata prætensa reformatione irreformabilem Catholicæ veritatis regulam simus amplexi - - sed testatur, ait, nostra conscientia (quæ Omniscentiam DEI latere non potest, quæq; in tremendo judicij die nobis testimonium perhibebit) planè diversum ab eo, quod malevoli temerè jactant. H. l. Ex omnibus hisce libris abunde colligetur, quòd gravissimæ & apodicticæ rationes dentur, quæ ad deserendam Protestantium Religionem probos ac doctos & suæ salutis amantes viros plurimos compulêre, & auxiliante Divinâ gratiâ, imposterum compellent. Secus res habet apud Protestantes, quando enim doctissimi quíque inter illos urgentur, ut edisserant causam, cur vel ipsi vel majores ipsorum à Catholica discesserint Ecclesia, titubant, ambages quærunt, nec suis confidunt responsionibus; nam næniarum illarum de Papa Antichristo, Idololatria Catholicorum cordatiores inter Protestantes pudet. Cùm Gerhardus Joan: Vossius stupendæ Eruditionis & infinitæ lectionis Vir à Clarissimo

ſimo Bartholdo Nihuſio quondam Lutherano poſtea Catholico & ad Abbatis dignitatem evecto, quem ipſe Voſſius *Virum Doctum & ſubtilem ac Calixto perfamiliarem* nuncupat, ſolicitaretur, ut cauſam explicaret, cur Parens ejus à Romana abijſet Eccleſia? nam eò *iterum tertióque eos ſermo provexerat;* Voſſius, ùt ipſemet teſtatur Epiſtol. 228. p. mihi 264. multa reſpondit *de veteris & præſentis Romanæ Eccleſiæ diſcrimine, ac Romanæ Eccleſiæ Doctores ità ſcripturas interpretari, ut ijs manifeſta vis fiat, & interdum ſenſus interpretationi reclamet, & nisì ità interpreteris, eos flammâ & ferrô perdere paratos, ac proinde jure ab ejusmodi Doctoribus recedi:* Enimverò Voſſius optimè gnarus hæc falſò ita aſſeri ac ſine dubio à Nihuſio ſolidè refutatus Grotium illud Eruditionis portentum conſulendum putavit, quem in eâdem epiſtola compellat: *Si valetudo, ſi otium Tibi, ſi res etiam tuæ ſic ferant, ut hujusmodi tractes, quod arbitror: quæſo, paucis ſaltèm perſcribe, quid Tibi hac de re videatur, & quam potiſſimum viam cum iſtiusmodi hominibus*

bus insistendam putes. H. I. Grotij responsio legitur in op. Epistolar. Epist. 339. p. m. 122. in fine, sed satìs frigida est; Ita autem habet: *discessionis causa, quæ abs Te redditur, optima est, non potuisse vivi sub tali dominatu, néque integras nationes, aut magnas nationum partes ideo debuisse à conventibus abstinere.* Hæc, inquam, Grotij responsio nimis frigida ac jejuna est, nósque abunde confirmat, quòd inconcussa universæ veteris Ecclesiæ in doctrina de Schismate principia, cùm has literas ad Vossium daret, nondum habuerit perspecta; inter illa enim hoc immotum est; nullô tyrannidis prætextu novos ac segreges cœtus posse institui, sed unitatem Ecclesiæ studiosissimè etiam in persecutionibus tuendam ac conservandam, quod uberiùs ex Epistola Ranzovij unitatem Eccl: egregiè celebranti patebit, ad cujus lectionem sinè ulterioribus ambagibus placidum & æquum lectorem admittimus. Scribebam Wratislaviæ. Anno 1714. die 6. April.

EPISTOLA

GEORGII CALIXTI

Ad

CHRISTOPHORUM RANZOVIUM.

Salutem ab auctore salutis!

GENEROSE VIR, Domine & amice longè cariſſime, quoties huc venerunt, qui ex Italia redirent, toties de te ſciſcitatus ſum. Fecit enim tuum pietatis, virtutis & eruditionis ſtudium, cujus hic luculenta ſpecimina edidiſti, ut te in oculis geram, & de incolumitate tua ſolicitus ſim; certa ſpe nixus, te comuni noſtræ patriæ magno ornamento inſignique emolumento brevì fore. Ut autem fieri ſolet, alij nihil de te referre poterant, alij nunciabant te

Romæ degere, & familiaritatem contraxisse cum Henrico Julio Blumio, nostræ olim disciplinæ alumno. Cujus rei certiores nos faciebat haud ita pridem Franciscus Henricus Witzendorpius, Patritius Luneburgensis, nisi mihi memoria imponit, cui jam senescens, quod talia attinet, non semper possum fidere. Sed nuper etiam non nemo hac transivit, qui me quidem alloqvutus non fuit, nec mihi innotuit, sed alijs narravit, te admodum familiarem factum Lucæ Holstenio, & nonnullis Jesuitis, qui multoties tibi scrupulos injicerent, & dubia moverent, ut propemodum inciperes vacillare, & Religionem Pontificiam Reformatæ anteferre. Venit idipsum ad aures nostri Vossij, ejusque animum vehementer perculit, ut ad me quoque deferret. Commovebar equidem, fateor, aliquantulum: sed cum me recolligerem, & prudentiam vimque ingenij tui expenderem, & Vossium bono animo esse jussi, & ipse fui; non ignarus, quanta illa tibi divinitus concessa, & quam frequenter fallant & plane infidi nuncij sint rumores. Non potes ignorare, inter omnes partes, in quas hodie, proh dolor! scinditur populus Christianus, Pontificiam plurimis superstitionibus, corruptelis, figmentis, & novitatibus

bus ſcatere: inter quas etiam eſt, qui hodie celebratur Jubileus, antea apud Chriſtianos inauditus, & demum ante annos CCCL. a Bonifacio IIX. homine improbo inſtitutus. Quamquam hoc malorum minimum videri poſſit, ſi cum dictatibus Hildebrandicis aliquanto antiquioribus comparetur. Qui Pontificijs ſe jungit, cogitur ſe ſeparare ab omnibus alijs Chriſtianis, qui ſunt per totum Orbem terrarum; & quidem ob cauſas aliquando non admodum graves. Cogitur enim anathema illis dicere, qui Purgatorium non admittunt, qui ſeptenarium numerum Sacramentorum in dubium vocant, qui Baptiſmum Joannis & Chriſti eundem fuiſſe non fatentur. Jam quod attinet Primatum Pontificis de jure divino, ejuſque infallibilitatem, mutilationem Euchariſtiæ, & Miſſam ſinè communicantibus, hæc talia ſunt, ut a Chriſtianis Græcis, Lutheranis, & Calvinianis, quemadmodum appellamus, rejiciantur: licet ipſi propter ejusmodi rejectionem ſive improbationem a Pontificijs anathemate feriantur. Græca Eccleſia ſicut ſub jugo tyrannico gemit, & dira ſervitute premitur; ita paulatim ignorantia quadam opprimitur, & neceſſaria ad judicium de doctrinis controverſis ferendum eruditione

deſti-

deſtituitur. Calviniana hinc magnam maculam contrahit, quod contra diſertam Servatoris adſertionem Corporis Sanguiniſque Dominici in ſancta Euchariſtia præſentiam inficiatur. Lutherana, quæ dogmati ubiquitatis inhæreſcit, vix minorem, dum hunc ſatìs craſſum errorem tuetur & obtrudit. Mi nobiliſſime Ranzovi, auſim affirmare, vix alibi Eccleſiam inveniri meliùs comparatam, quàm in noſtra patria, & hìc in Ducatu Brunſuicenſi, ditionis Wulfenbutenlicæ & Calembergicæ. Exulant enim indè non modò ſuperſtitiones & corruptelæ Pontificiæ, ſed etiam Calviniſmus, qui præſentiam in Euchariſtia negat, & illaudabile dogma ubiquitatis. Contra inſcitiam quoque in Academia pugnamus, quantum poſſumus, & optimæ eruditionis ſtudia aliàs fugientia retinere cupimus & ſtabilire. Scis etiam pro pietatis & ſanctimoniæ ſtudio nos ſatagere, & quod doceamus abſque eo gratiam Dei, & ſalutem firmam, & indubitatam ſubſiſtere non poſſe. Superamur tamen fateor, quod ſeveritatem diſciplinæ eccleſiaſticæ ad pietatem omnino facientis attinet, à Fratribus Boëmicæ confeſſionis. Cæterum tuo conſilio & prudentia & auctoritate in patria noſtra, quæ adhuc deſiderari poſſint, aut emendari poſtulent, ali-

quando suppletum, & correctum iri spem omnino certam concepi. Qua nè frustrer, faxit Deus Optimus Maximus, tibique inspiret, quæ huc faciant, & ad illustrandam divinam gloriam, & promovenda patriæ Ecclesiæ, Reique publicæ emolumenta. Si quis autem scrupulus injectus, ei quæso locum concedere noli, & si fortè removere totum nondum possis, ità suum iter institue ut in reditu nos invisas: nullus enim dubito, per auxilium divinum, & mutuam nostram collationem facilè sublatum iri. Bene vale & age feliciter nostri memor, quemadmodum nos tui. Ex Academia Julia VI. May. CIↃ IↃ C L.

Generositati tuæ addictissimus

GEORGIUS CALIXTUS.

Cla-

Clarissi. Doctissimóque Viro

GEORGIO CALIXTO
CHRISTOPHORUS RANZOVIUS

Sal. plur. dicit, vovétque æternam.

LITERAS tuas a. d. vi. Maji datas, doctissime idémque optime Calixte, planè quales sperabam, accepi, nempe modestiæ & humanitatis, tum verò officiosi erga me affectûs plenas. Indicant illæ, itidem ut aliæ sub idem tempus ex patria perlatæ, quam solliciti mea de re fuerint homines sui omnium incuriosissimi: qui cùm nihil Romæ spectatu dignum putent præter publicorum operum moles, & prisci splendoris indices parietinas; nec nisi cum stabularijs, lanistis, & saltatoribus plerique versentur, me viros pios, doctosque frequentantem, quibus hæc urbs abundat, in

 fidei

fidei catholicæ veritatem inquirere ægrèferunt. Sed illi de se viderint: ego quidem pro eo, quo teneor æternæ felicitatis desiderio, studij humani curiositatem nusquam melius exerceri credo, quàm in negotio salutis; quæ extra unam veramque Christi Ecclesiam sperari nullo modo potest. Proinde cùm hæc præcipua Italicæ profectionis caussa mihi fuerit, sedulò hìc disquirendum mihi existimavi de religionis capitibus, quæ Septentrionem infelici schismate separant à Romana cæteráque catholica Ecclesia. Eamque ad rem peropportuna mihi accidit amicitia Lucæ Holstenij, sacerdotis catholici ex Transalbiana nostra; viri & eruditione & humanitate singulari, & in SS. Patrum & Conciliorum lectione versatissimi. In eo præcipuè me delectavit, quòd ab omni sophistica futilitate & logomachia abhorreat; quippe qua veritatem catholicam luce meridiana clariorem, obfuscari tantùm tenebrisque involvi existimat. Ejus consilio in discernendis fidei controversijs regulam Vincentij Lirinensis, quem tua commendatione nôsse & amare cæperam, adhibui: scilicet, divinæ legis auctoritatem, & Ecclesiæ catholicæ traditionem: ità ut verum & indubitatum crederem quicquid sacra scriptura docet, dummodo interpre-

tationis

tationis ejus linea ſecundùm eccleſiaſtici & catholici ſenſûs normam dirigatur; non juxta peculiarem cujuſcunque demum veteris aut novæ ſectæ opinionem detorqueatur.

Hujus regulæ ductu dubitare non potui, quin ea certiſſima ſacræ ſcripturæ mens eſſet, & vera ac genuina eccleſiæ catholicæ doctrina, quam proximè ab Apoſtolis acceptam probatiſſimi primorum quinque ſæculorum Patres, & quatuor Concilia generalia, quatuor Evangelijs antiquorum judicio comparanda, tradiderunt: tum etiam quod ſuppares ijſdem temporibus hiſtoriæ eccleſiaſticæ auctores ſcripto nobis conſignatum unanimi conſenſu reliquerunt: nec aliunde primitivæ Eccleſiæ ſenſum clarius certiúſque erui poſſe exiſtimavi. Ità ut, quæcumque primis iſtis ſæculis in dogmatibus fidei, Eccleſiæ Sacramentis, eorumque uſu & ritibus; tum etiam in politia & diſciplina publica, ubique, ſemper, & ab omnibus credita, probata, & uſitata fuiſſe certò ſciam, ea pro veris, & catholicis dogmatibus, ſacramentis, ritibus, legibuſque eccleſiaſticis amplectar & teneam. E-contra eos, qui vel olim publicam iſtam univerſæ eccleſiæ doctrinam pervicaciter negârunt, adulterârunt, impugnârunt; vel hoc tempore, veterum quorundam ex-

 emplo,

emplo, negant aut impugnant, ideóque Ecclesiæ communionem deserunt; hæreticos, schismaticos, novatores, & Ecclesiæ perturbatores fuisse, atque etiam nunc esse pronunciare non verear.

Quocirca primum ac præcipuum hujus disquisitionis caput esse duxi, ut in ipsius Ecclesiæ nomen, naturam, & notas sive attributa sedulò inquirerem; quæ secundùm Apostolum, domus Dei est, columna & firmamentum veritatis: & juxta fidei symbolum, una, sancta, Catholica, & Apostolica credi debet. Principio enim nisi una sit, Ecclesia esse nequaquam potest. Cùm enim corpus sit Christi capitis sui; unius autem capitis nonnisi corpus unum esse possit, unam tantùm, quacumque diffunditur, Ecclesiam esse necesse est. Ea autem unitas unius ejusdémque fidei veritate, eorundem sacramentorum communione, pacis denique & concordiæ communis vinculo continetur. Ideoque ubi fides diversa est, & sacramenta non eadem celebrantur, neque conjuncta unius fraternitatis in una Dei domo cohabitatio, ibi Ecclesia una non est. Unde jam olim hac de re pronuntiavit Cyprianus: *DEUS unus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, & fides una, & plebs in solidam corporis unitatem concordiæ*

glu-

glutino copulata. Scindi unitas non poteſt: nec corpus unum diſſidio compaginis ſeparari, divulſis laceratione viſceribus in fruſta diſcerpi. Quicquid enim à matrice diſceſſerit; ſeorſim vivere & ſpirare non poterit, ſubſtantiam ſalutis amittit. Ex quo ſequitur Catholicam Eccleſiam, quæ præcipua à parte Romana dicitur, cum Lutherana, Calviniana, vel Anabaptiſtica unam eandemque Eccleſiam nec eſſe, nec fingi poſſe. Cum iſtæ non ſolùm ab ea diſcrepent multis fidei capitibus. diverſisque ſacramentis; ſed hoſtili quoque odio diſſideant. Omnes enim iſtæ ſectæ à Romana ecclesia eam ob cauſam ſuperiori ſæculo ſe diſjunxerunt, quod non Eccleſiam Dei, ſed ſatanæ regnum, & Antichriſti ſedem, atq; ipſiſſimam Babylonem eam exiſtimarent; ideòque Luthero claſſicum canente, omnibus ſalutem in Chriſto ſperantibus, & animo & corpore fugiendam crederent. Nemo que hactenus ſuſceptum ſemel odium poſuerunt. Cùm hoc ipſo tempore Eccleſiæ hoſtes rerum potiti, templa Catholicorum invadant, bonis ſpolient, Epiſcopatus ſupprimant, Monaſteria ſubvertant, ſuæque ſectæ doctrinam Catholicæ fidei abrogatæ ſubſtituant.

Sanctam quoque credimus & profite-

mur Ecclesiam, quam Christus ipse, teste Apostolo, sanguine suo sanctificavit, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. *Quod cum Augustino retr. l.* 1. *c.* 18. & alibi, ità intelligimus, non quasi jam sit, sed quæ præparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Sancta tamen, quam Spiritus sanctus Christi Domini, ut cum Tertulliano loquar, vicarius nunquam deseruit, nunquam deseret; sed virtutum ubertate fœcundat, & sanctitatis magistram populo Dei constituit. Sanè cum singulari Dei instinctu animus meus inde à puero ad veram pietatem anhelaret, & pauca à nostris scripta reperirem igni illi cœlesti fovendo opportuna, quo divini amoris incendium exardesceret; oblatis mihi tunc catholicorum scriptorum meditationibus sacris, cœpi statim persentiscere, quantò suavius uberiusque Ecclesiæ illius filij de matris suæ uberibus spiritûs dulcedinem, & pietatis nutrimentum sugerent, quàm qui externæ nutricis exsuccas & arentes mammas inani labore fatigant. Eoque prima mihi de Ecclesiæ illius statu cognoscendo sùborta est cogitatio; neque enim verisimile videbatur in ea ar-

bore

bore fidei medullam exaruiſſe, quæ tam uberes pietatis fructus gigneret.

Atque iſtam tunc conjecturam minimè me fefelliſſe abunde deinceps Catholicorum hominum uſu & converſatione expertus ſum; maximè cùm ad urbem accesſſem. Nam ubi tu ſuperſtitionibus, nugis, & novitatibus me offenſum iri exiſtimâſti, ibi inſperato planéque admirando ſpectaculo univerſa Catholicæ Eccleſiæ facies antiquæ pietatis ſanctitatiſque plena, oculis animoq; meo ſeſe aperuit, iu ipſo Jubilæi, quod INNOCENTIUS X. Pont. Max. orbi Chriſtiano indixerat, principio. Vidi enim ſolemni ſupplicationis ritu ad Baſilicam Vaticanam procedentes numeroſiſſimas infantium ſcholas, agmina Monachorum, & religioſorum hominum ſodalitia; indè collegia diverſa Clericorũ, & Eccleſiarum presbyteria.

Clerum ſuum ſequebatur, Pontifex, veneranda Epiſcoporũ corona circumfuſus. Hunc populi Chriſtiani Ducem, & Antiſtitem ſupremum immenſa fidelium turba ſubſequebatur eo animi ardore, ut cœlum ipſum expugnaturi, manuq; violenta directuri viderentur, homines plerique omnes ſacco tantùm & cilicio tecti, & ſcipione viatorio armati. Ubi in porticum ad limen Eccleſiæ perventũ, Pontifex in genua provolutus, cùm oratione ſuper plebem data miſericordiam divinam

plorâsſet; occluſas valvas non tam aperiens, quàm diruens, primus templum ingreditur, rectáq; pergit ad altare, preces ſolemnes inchoaturus. Interim non ſinè ſtupore ſpectavi, quo impetu populus ille ingens in Eccleſiam irrueret, limina certatim exoſculantes, genibuſque perreptantes; templum ingreſſi pars in terram proni, totoque proſtrati corpore, pars B. Petri, ùt vocant, Confeſtioni, & altaribus provoluti, lacrymas preceſque funderent; & ad miſericordiam Dei extorquendam non tam pectus palmis, quam cœlum ipſum invidiâ tunderent. Hæc fateor nova tum viſa mihi, cui nihil ſimile apud noſtros antea obſervatum; ubi homines ad orationem genu flexi non niſi in ſepulcrorum memorijs picti ſculptive conſpiciuntur. Sed novitas illa clariſſimum antiquæ ſanctitatis indicium mihi præbuit: unde Eccleſiam etiam nunc vitali vigore Spiritûs ſancti vegetari, regique certò perſpicerem. Eaque in ſententia magìs confirmatus ſum, ubi populum illum agmine immenſo, & continua ſerie cæteras Eccleſias, precibus, ſtationibuſque præſtitutas, obeuntem vidi; ſupplicationibus interim, & Litanijs ſuo quoſque ordine ſed uno conjunctoque pietatis certamine divinam opem expoſcentes. Tum verò perſpexi, quanta pietatis æmulatione peregrini ad Urbem confluen-

fluentes & publicis Ecclesiæ, & suæ quique nationis privatis hospitijs excipiantur: ad hæc quo studio curaque foveantur ægroti, quod fidem propemodum omnem excedit.

In tanto populorum & nationum numero facilè perspexi, quid Catholica Ecclesia à sectis factionibusque privatis distet: cùm hìc omnes gentes omnesque linguæ unius fidei & caritatis vinculo socientur; apud istos unius ejusdémque civitatis populus, sæpe etiam familiæ singulæ, opinionum & parietum divertigio separatæ, suo quique in angulo Ecclesiam coarctatam existiment, cæterosque ùt extorres ac profanos ferali odio aversentur.

Christus Dominus omnes gentes, & extremos terræ terminos hereditatem & possessionem à Patre accepit. Patrimonium hoc amplissimum integrum, nec minuendum unquam, tabulis dotalibus sanguine suo obsignatis sponsæ unicæ contulit.

Proinde mirandum, cum S. Augustino, qualem vesaniam patiantur hæretici, qui præcisi à compagine Ecclesiæ Christi, & partem tenentes, & totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum, quo diffusa est gloria Christi; cui communicat catholica Ecclesia. Etenim Christianorum cùm sint hæreses plures, atque omnes se catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nomi-

nominent; una eſt Eccleſia catholica, cui hæreſes aliæ diverſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulæ proprijs vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Hujus igitur Eccleſiæ tenenda eſt nobis communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolum à ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint ipſi quoque hæretici & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loqvuntur, catholicam nihil aliud quàm catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab univerſo orbe nuncupatur. Hæc ſola Eccleſia nos Deo ſervat, hæc filios regno, quos generavit, aſſignat. Quiſquis ab ea ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Ejus unitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris &Filij fidem, vitam non tenet & ſalutem. Quocirca, inquit, ſi tibi Angelus de cœlo diceret: Dimitte Chriſtianitatem orbis terræ, & tene partes Donati, (hoc eſt Lutheri vel Calvini,) anathema eſſe deberet: quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur, & alienare à promiſſis Dei. Eccleſia Sponſa Chriſti eſt, ùt ait idem Auguſtinus, totum poſſidet quod à viro ſuo accepit in dote. Quæcunque congregatio cujus-

libet

libet hæresis in angulo sedet, concubina est, non matrona. Jactet se cum spuria prole contra Ecclesiam, & ancilla procax dominæ convitia & injurias ingerat; ejicietur tamen cum filijs suis, qui utcunq; nunc Christi patrimoium sibi arrogent, hæredes cum filijs liberæ nunquam erunt. Neque enim Deum Patrem habere potest, qui non habet Matrem Ecclesiam.

Et nè quis hanc Matrem fidelium, Arcam salutis, &Christi Tabernaculum ignorare posset, in Sole illud posuit, deditque in lucem gentium: atque ut Dei civitas conspicua appareret omnibus, in montis vertice eam eminere voluit. Quomodo enim gentes in tenebris & umbra mortis sedentes ad eam converterentur, si veritatis luce extincta errorum nox ipsam oppressisset; vel admota Diogenis laterna in angulis esset quærenda? Ecclesiarum origines evolventi omnium sæculorum exempla occurrunt, quam fidei & religionis matricem & magistram singulæ agnoscant. Taceo Brittanniam, quatenus Angli, Saxonesque nostri eam occupârant, S. Gregorij magni apostolatu per Augustinum sociosque Monachos Evangelij luce perfusam. Cogita Saxoniam nostram Cismarinam cum Provincijs vicinis ad intimum Septentrionem porrectis, & extremam Thulen, S. Anscharij prædicatione Catho-

licæ

licæ Ecclesiæ adjectam. Cogita reliquam Transrhenanam Germaniam, quæ extra veteris Romani Imperij limitem fuit, Bonifatij, Willebrordi, Suiberti, & Wilhadi, aliorùmque sanctissimorum hominum labore, & industria ad catholicæ fidei agnitionem, & Ecclesiæ universalis communionem perductam. Nunquid ea tunc invisibilis latebat Ecclesia, quæ Apostolicos viros prædicationis munere legitimè instructos eò misit? quæ recens fundatis Ecclesijs Episcopos ordinavit? quæ ritus legesque ecclesiasticas, omnemque disciplinam sacram jisdem tradidit? Si recentiora tempora spectemus, miraculo evidenti non caruit, quod avorum memoria de America, de ultima Africæ ora, & de Indiæ remotissimis Provincijs Insulisq; factum scimus. Subtraxerat Ecclesiæ catholicæ veritatis hostis Provincias & Regna, quæ ad Septentrionem vergunt, & universalis Ecclesiæ membra non ità pridem nobilissima in partes sectasque varias discerpserat; ità ut Christi patrimonium non exigua parte mutilatum videri posset: cùm repente veritatis Sol, cui perversum & & obstinatum animum homines factiosi occluserant, Provincijs, quas dixi, remotissimis, & dira barbarie efferatis exoritur suoque lumine longè lateque omnia perfundit: ubi nunc

Regna,

Regna, & Provinciæ propemodum infinitæ Christi jugo colla submiserunt; & religio catholica per Metropoles, Episcopatus, Academias celeberrimas, & religiosorum hominum Collegia infinita, lætissima propagine diffusa floret. Quis verò nescit, quibus auspicijs, qua auctoritate, quorum opera & ministerio id factum? Neque enim ex latebris novi & incogniti prædicatores emersêre, quod auorum memoriâ apud nos contigisse scimus; sed Pontificum, Regumque Catholicorum studio agmina operariorum ad novam messem, ex Catholicæ Ecclesiæ gremio fuêre submissa. Neque nunc obscurum ulli est, unde Missionarij ad fidei Catholicæ reliquias inter hæreticos & schismaticos tuendas, vel veritatem de integro apud infideles propagandam submittantur, qui omnium nationum Collegia, non solùm Romæ, sed per cæteras omnes Orbis Provincias, etiam in Japonia, sub primo Solis ortu à Pontificibus Romanis fundata non ignorat. Hoc Catholicæ Ecclesiæ studium, hanc Pontificum, hanc Cardinalium curam vel præcipuam hic esse sciunt, qui sinè odio & invidia res Romanas inspiciunt. Neque eam inanem esse nostro hoc tempore patitur Deus, qvum non ità pridem certo nuncio ex Oriente perlatum sit,

Sina-

Sinarum Regem cum familia & nobilitate præcipua, Chriſti fidem ſuſcepiſſe, Principumque exemplo myriades hominum paſſim ad baptiſmum properare: ità ut competentibus catechizandis vix omnes per Europam Sacerdotes, ſi eò mitterentur, ſuffecturi videantur.

Denique Apoſtolicam eandem Eccleſiam ſymboli definitione profitemur, eò quod originem, & ſucceſſionem ab Apoſtolis continua ſerie deductam uſque in finem ſervet. Conſtat enim, inquit Tertullianus, quod Chriſtus JEſus Dominꝰ noſter duodecim Apoſtolos, quos hæc appellatio miſſos interpretatur, alteri ſuo adlegerit, deſtinatos nationibus Magiſtros, ad Patrem regrediens juſſit ire, & docere nationes tingendas in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Tum etiam quod Apoſtoli conſecuti promiſſam virtutem Spiritûs ſancti ad virtutes & eloquium, primò per Judæam conteſtata fide in JEſum Chriſtum, & Eccleſijs inſtitutis, dehinc in Orbem profecti, eandem doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulgaverunt; & proinde Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt: è quibus traduces fidei, & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſæ

Apoſto-

Apoſtolicæ deputantur, ùt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne enim genus ad originem ſuam cenſeatur, neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes; & ſic omnes primæ, & omnes Apoſtolicæ, dum unam omnes probant unitatem. Conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſijs Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei, conſpirat, veritati deputandam; id ſinè dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. Hæc ille.

Unde facilè perſpexi, Septentrionalem noſtram Eccleſiam, quamdiu eam fidei doctrinam & ordinationem retinuit, quam S. Anſchario prædicante ab Apoſtolica Sedè ſuſceperat, verè Catholicam, verè Apoſtolicam fuiſſe; quippe ab Apoſtolico viro fundata, cui petente Ludovico Pio Gregorius IV. Sedis Apoſtolicæ Præſul ante Corpus & Confeſſionem S. Petri, publicam gentibus Septentrionalibus evangelizandi auctoritatem tribuerat. Sed cùm poſt annos paulò minùs DCC. eædem Provinciæ per Lutheri emiſſarios, quorum præcipuus a-

pud nos fuit Joannes Pomeranus, in partem, ſectamque peculiarem pertraherentur; & novi iſti prædicatores, veteri fide & diſciplina partim abrogata, partim interpolata, Eccleſias Cathedraſque Epiſcoporum, qui vel exilio vel carcere mulctati deceſſerunt, invaderent; & homines à ſe ipſis orti, novo more, ſinè Epiſcopali ordinatione collegas & ſucceſſores ſibi conſtituerent; dubium non eſt, quin Apoſtolicæ ſucceſſionis ſerie interrupta eadem Eccleſia ex Catholica & Apoſtolica in hæreticam Lutheranam converſa fuerit: utì etiam Ciſalbiana veſtra, quam à Suiberto & Wilhado Gregorij II. & Hadriani I. Apoſtolicorum Præſulum auctoritate fundatam, eadem peſtis poſtea afflavit, & ſubvertit.

Dixi Eccleſias noſtras Septentrionales Apoſtolicæ doctrinæ propaginem ex Romana accepiſſe, quam Apoſtolicam fuiſſe, atque etiam nunc eſſe, nemo unquam ſanus dubitavit: quinimò ut omnium Apoſtolicarum maxima & antiquiſſima, honoris prærogativam præcipuam ſemper obtinuit. Ejus potentiorem principalitatem ſtatim poſt Apoſtolorum tempora agnovit Irenæus. Eam ſtatu felicem pronunciat Tertullianus, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt; atque indè Africanis quoque

Eccle-

Ecclesijs suam auctoritatem præsto fuisse testatur; eò scilicet, quod doctrinam fidemque ex ea acceperit, ideoque ùt Matrem & Magistram coluerit universa Africa. Hanc Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem; hanc Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscit Cyprianus. In ea semper Apostolicæ Cathedræ principatum viguisse affirmat Augustinus. Unde universa antiquitas hanc Sedem Apostolicam proprio & absoluto nomine semper appellavit, & Episcopo ipsius Domni Apostolici titulum peculiarem tribuit. Ex ea unitas sacerdotalis exorta est, teste Cypriano: quia Christus, ùt sanctus ille martyr loquitur, super unum Petrum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas; & ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Et in pari consortio honoris & potestatis, præ cæteris Apostolis primatus Petrò datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.

Ob hunc primatum, sive potentiorem principalitatem Romanæ Sedis, necesse est ad eam omnem convenire Ecclesiam; hoc est eos qui sunt undique fideles, ut jam olim pronuntiavit Irenæus: ità ut catholicus cen-

ſeri nullo modo poſſit, qui ejus Eccleſiæ communione non fruitur. Hanc Petri unitatem qui non tenet, inquit Cyprianus, tenere ſe fidem credit? qui Cathedram Petri, ſuper quam eſt Eccleſia fundata deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Nec quenquam latere poteſt hiſtoriæ eccleſiaſticæ paulò peritiorem, quàm ſolicitè omniumOrientalium Eccleſiarum Epiſcopi de ſtatu ſuo pericitantes, Romanæ Sedi fidem ſuam probare ſtuduerint, ejuſque exambierint communionem; ut Eccleſias, vel ſalvas retinerent, vel amiſſas recuperarent. Hanc primam Sedem ob eundem primatum nullius inferioris judicio obnoxiam cæteræ omnes judicem ſupremam in cauſis eccleſiaſticis agnoverunt, ad eam à Conciliorum vel collegarum ſententijs provocârunt; injurijs pulſati ejus popoſcerunt auxilium, quod Petrus & Athanaſius Alexandrinæ, Meletius & Paulus Antiochenæ, Paulus & Joannes Chryſoſtomus CPlitanæ Eccleſiæ Patriarchæ efficax & opportunum experti ſunt. Econtra Dioſcorum Alexandrinum ideò ab univerſo Chalcedonenſi Concilio damnatum depoſitumque legimus, quod excommunicationis ſententiam S. Leoni intentans, primam Sedem injuria contumeliaque affeciſſet. Hunc primatum Chriſtianiſſimi quique Impera-

peratores agnoverunt. Ideoque Theodosius major Nectarij Patriarchæ CPni electionem, quamvis ab universali Concilio Constantinopolitanorum factam, à Sede Romana confirmari voluit; eique formatam à Damaso PP. regulariter dirigi poposcit, ùt testatur Bonifacius PP. I, Eodem modo junior Theodosius cùm Proclum ex Cyzicena Ecclesia ad Constantinopolitanam transferri cuperet, prolatis Cælestini PP. I. literis, quibus eam translationem pridem probârat, facilè suo desiderio potitus est.

Sed cùm tu nostro tempore Græcos Romanæ Sedis primatu jure offendi existimes, mox Orientalis Ecclesiæ mentem accuratius pervestigatam explicabo: unum interim addam; supremam semper fuisse Sedis Romanæ auctoritatem in convocandis, dirigendisque Episcoporum Concilijs, quibus vel ipsi Pontifices per se, vel per Legatos à latere missos, vel per diœcesium Primates, Vicarios suos, præsidebant; cujusmodi Vicariatu per Illyricum Thessalonicensem, per Gallias Arelatensem per Hispaniam Terraconensem, & Bracarensem olim functos fuisse, indubitatæ antiquitatis testimonijs constat. Quali etiam postea per Germaniam Bonifatius Moguntinus, per Septentrionem Anscharius, ejusq; aliquandiu successores; per Angliam

Cantuarienſis, alibi alij ex veteri inſtituto ac privilegio fungebantur. Nec minùs abſoluta fuit Epiſcopi Romani in Conciliorum decretis vel confirmandis vel reprobandis auctoritas; quod Conſtantinopolitani I. Epheſini, & Chalcedonenſis generalium Conciliorum Synodicæ ad Damaſum, Cœleſtinum, & Leonem magnum perſpicuè docent. Hæc qui in tanta ſacræ eruditionis luce vel negare, vel ſophiſmatum tenebris obfuſcare auſit, ei vel judicium, vel pudorem omnem deperiiſſe dixerim. Quamvìs tu Hildebrandicis dictatis hæc accenſere non verearis, & quaſi nova fidei dogmata ad catholici nominis invidiam exagites. Sed cùm hac etiam parte à R. P. Ebermanno in Moguntinis diſputationibus ſatìs tibi neruoſè reſponſum ſciam, hoc interim Catone contenti erimus.

Hæc, qvam expoſui, rationum ſumma eſt, cur Romanam Eccleſiam pro Una illa, Sancta, Catholica, & Apoſtolica agnoverim, quam fidei Symbolo profitemur; & cur ejus gremio atque communioni tutò me commiſerim. Undè vice verſa omnes extra eam Congregationes, quocunque demum reformationis nomine glorientur, aut quacunque puritatis ſpecie ſibi blandiantur, ùt hæreticorum latibula deteſtor: eaque ut nullum nunc cum catholica Eccleſia in

terris

terris militante, ità neque in posterum cum triumphante in cœlorum regno partem habitura certissimè credo.

Verùm enimverò illud vehementer miror, qnod cùm hoc ad Ecclesiam catholicam accessu omnibus ejus per universum Orbem membris me conjunxerim, tu contra ab ijsdem me separatum existimes: eaque in re quam rationem sequaris, me non satis perspicere ingenuè fateor. Nisi quod tu Ecclesiam ex diversis Sectarum factionionibus ità unum in corpus conglutinatam existimas, ut quamvìs omnes catholicæ è diametro adversentur, inter se tamen occulto aliquo symbolo aut sympathia arcana, ipso scilicet catholicæ veritatis odio, ità sint colligatæ, ut qui unam neget, omnes neget. Sed cùm purus putus Lutheranismus, tua quidem opinione, angustissimis limitibus contineatur, una scilicet & altera Saxoniæ nostræ præfectura; quotam, quæso, ille Orbis partem occupat, ut cum Catholicolicorum regionibus, Italia, Gallia, Hispania, Polonia, Germaniæ & Belgij parte maxima, tum verò cum America, India Orientali, & latissimis Africæ Regnis, denique cum Græcia, & Oriente, quarum maxima pars in catholica communione etiam hodie persistit, comparari queat?

Neque verò cùm Lutheranismo caritatem & tolerantiam Christianam simul ejuravi, ùt tu suspicari videris; eò quod cùm Sectæ omnes mutuò se scabant, ferantque invicem, soli Catholici cæteros omnes diversa sentientes anathemate dêfigant. Non ego Augustanam Confessionem hìc tibi opponam, ubi ferè omnium articulorum epiphonema est: Et damnamus secus sentientes: hoc dicam; cùm nulla sit communicatio lucis cum tenebris, Christi cum Belial; cur veritatem catholicam amplexus hæreticorum oppositionibus contra universalia, hoc est, ab omnibus, semper, & ubique credita dogmata, anathema dicere verear? Paulus fidem Galatis semel traditam non alio munimento securam præstari posse existimabat, quàm ut aliter docentibus anathema intentaret; idque non solùm quibusque de vulgo præconibus, sed etiam Apostolis, & Angelis ipsis. Ecclesia hortus ille est conclusus, ex Canticis, ad quem hæresi aditus non patet; hæc vinea evangelica, quam Dominus ab operarijs probè excultam, plantisque fructiferis consitam, ad fures, ferasque silvestres arcendas sepe circumdedit. Et tu miraris, si maceriem illam sartam tectam conservare omni ope studeat, si dirui perfodique prohibeat is, quem vineæ suæ

Domi-

Dominus ſuprema cum auctoritate præpoſuit? Profectò ut erroris in ſe, ità iniquitatis in nos rei ſunt, qui cùm terminos à Patribus conſtitutos pro libitu movere, limites confundere, fines exarare, ſiluam non ſuam cædere, in alienam meſſem falcem immittere, perverſo & pertinaci animo palàm audeant; vim ſibi & injuriam fieri queruntur, ſi alieno prohibeantur, ſi juris violati poſtulentur.

Sed tu intra Symboli articulos catholicæ veritatis terminos ſtare exiſtimas, quæ illo expreſſè definita non ſunt, nullam certam credendi legem, ſed promiſcuam habere ſentiendi licentiam; quæ novis Eccleſiæ definitionibus conſtringi, coarctarique non debeat. Sed minimè novum hoc aut inſolens effugium. Neſtorius cùm temeratæ veritatis catholicæ accuſaretur, fidei Symbolum obtendebat, quod vocem non agnoſceret; illud ſe profiteri ajebat. Sed Cyrillus id ſatìs eſſe negat, nam etſi Symbolum vocetenus profiteri videretur, non tamen rectè illud ipſum intelligere, neque ſyncerè, ſed perverſè & præpoſterè interpretari. Ideóque neceſſum eſſe, ut ea omnia ſcriptis execraretur, & anathematizaret, & publicè abjuraret, quæ ſceleſtè, & profanè hactenus ipſe ſenſerat, alioſque docuerat: eumque in finem duodecim anathematiſmos ei-

dem præscribit, quibus errorem suum execraretur. Hisce anathematismis Cyrilli non solùm Nestorius alios XII. è diametro pugnantes opposuit; sed Joannes Antiochenus cum asseclis eosdem ùt hæretica impietate refertos damnavit. Theodoretus quoque & suo Orientalium Episcoporum nomine, contradictionibus totidem impugnavit. Stetit tamen immobilis catholica veritas, & Cyrilli anathematismos eidem stabiliendæ scriptos, universa DEI Ecclesia approbavit, utcunque principio novi duriq; multis viderentur.

Hoc unum namque, ùt Vincentius Lirinensis jam olim dixit, omni industria semper studuit Ecclesia catholica, ut vetera fideliter, sapienterque, si qua sunt illa antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat; si qua jam expressa & enucleata, consolidet & firmet; si qua jam confirmata & definita, custodiat. Imitatur enim animarum religio rationem corporum; quæ licèt annorum processu numeros suos evolvant & explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent. Easdem profectuum leges Christianæ religionis doctrina sequitur, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate; incorrupta tamen, illibataque permaneat; cùm nihil propterea in dogmati-

gmatibus permutationis admittat ; nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem. Fas eſt enim, ut priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limitentur, polientur; ſed nefas eſt ut commutentur, nefas, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant, licèt evidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant, neceſſe eſt, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nullius ergo novitatis inſimulanda eſt Eccleſia, ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, ſi ſubinde hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum novis ſtrictioribuſque decretis veteris fidem aſſerere, & à corruptelis vindicare enisa fuerit, etiam ſub anathematis denuntiatione. Quò illud tantum perfecit, ut quod antea ſimpliciter credebatur, poſtea crederetur diligentius: quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur: & quod ipſa priùs à majoribus ſola traditione acceperat, hoc deinde poſteris etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret. Neque verò hæreticorum hìc curanda eſt oblocutio, neque eorum in gratiam vel apex unus de rectis fidei decretis demendus vel mutandus. Nam ſi ſemel admiſſa fuerit hæc licentia, quis non videt, quantum exſcindendæ atque abolendæ religionis periculum conſequatur?

Abdi-

Abdicata enim qualibet parte catholici dogmatis, aliæ quoque atque item aliæ partes jam quasi ex more & licito abdicabuntur; ità ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum. Hæc auctoris tibi notissimi sensu verbisque paulò prolixius exposui, quia planè ad rem nostram faciunt Nolles enim Lutheranis omnem pro libitu sentiendi licentiam strictis illis Concilij Tridentini decretis ademptam, in multis fidei dogmatibus, quæ cum eorum confessione vel hypotyposi non congruunt. Sed idem reliqui omnes Sectarij conquerentur. Omnibus ergo ex æquo gratificandum erat? siccine verò sacrum illud fidei depositum integrum illæsumque posteris seruaretur?

Sanè nullam majorem Tridentinis Patribus curam fuisse scio, quam ut omnia ipsorum decreta ad primitivæ antiquitatis sententiam exactissimè conformarentur, quod quamvìs te contra Veneti sannionis & Spalatensis Apostatæ opinionem ægrè crediturum sciam; crederes tamen, si Gulielmi Sirleti, tunc Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, epistolarum volumina mecum hìc inspexisses; quibus ille singulis ferè septimanis ad Marcellum Cervinum, Seripandum, aliosque Concilij præsides Cardinales prolixè

per-

perscribebat, quæcumque de singulis fidei capitibus ex SS. Patrum, præsertim Græcorum operibus, tunc maximam partem ineditis, diurno nocturnoque studio colligere poterat: eaque opera præcipuè purpuræ dignitatem meruit. Et sanè præclara est, & in publicum proferri operæ pretium foret: appareret enim omnibus perspicuè, quàm diversos, totoque cœlo distantes polos spectârint Augustanæ Confessionis, Concordiæque auctores, atque ex adverso Tridentini Patres avitæ fidei defensores. Namque hìc solam cœlestis veritatis cynosuram respiciens,

------ semper sublimis; at illum
Sub pedibus nox atra videt, manesque profundi.

Sanè qui tuas adversùs catholicam fidem disputationes rectè expendunt, eandem planè litem Ecclesiæ te movere facilè perspiciunt, qua Pyrrhonij dogmaticos olim exercuerunt. Nam sceptici, ut acatelepsiam & epochen suam tuerentur, etiam certissima sapientum decreta vocabant in dubium, adeòque omnia indefinita & incomprehensibilia pronuntiabant, neque enim magìs hoc, quàm illud esse; & omni rationi rationem æqualem opponi posse existimabant. Eodem modo cum sacra antiquitate agis, nulla tam clara & certa sunt SS. Patrum dogmata,

ta, nulla tam sancta Conciliorum decreta, quæ non convellantur ratiunculis vel ex dubio aliquo, vel malè intellecto, aut perperam explicato loco deductis. Ità nunc omnis veterum Theologia mera tibi scepsis est; adeoque largiter peccâsse putas Ecclesiam, quæ accepta à Patribus dogmata, ab hæreticorum pervicacia anathematis denuntione vindicanda censuerit; in quibus scilicet levia & exigui momenti permulta tibi videntur, quæ utrùm credas, aut non credas, vel quo pacto credas, parum intersit.

In his primo loco ponis Purgatorium, cujus non solùm res, sed & nomen ipsum nostros homines vehementer offendit; ideóque non minores ob sublatum Purgatorium Luthero gratias se debere existimant, quam Lucretius Epicuro suo,

---- qui, cùm vita jaceret
In terris oppressa gravi sub relligione,
Primum Grajus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.

Docuitque suos asseclas,

Ut metus ille foras præceps Acherontis agendas
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo.

Sed utcunque illis explodendum videatur hoc dogma, certum est, antiquissimum & universale semper fuisse in primitiva Ecclesia, ideoque non sinè ratione Concilium ana-

anathemate id ſtabiliendum duxit: cùm triplici ex capite veritas ejus aſſeratur. Primò ex ſacris literis, *Matth. 5. ubi carceris nomine appellatur, in quo ſatisfiat uſque ad noviſſimum quadrantem; tum prima ad Chorinthios 3. ubi quoſdam ità ſalvos futuros ſcribit Apoſtolus, quaſi per ignem.* Nititur deinde auctoritate præcipuorum Doctorum Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ, qui prædicta loca Scripturæ unanimi conſenſu de Purgatorio ſunt interpretati. In Græcis agmen ducunt S. Baſilius, *ad caput* 9. *Iſaiæ hac de re prolixè agens; & libro de Spiritu S. ad Amphilochium c. 15. Gregorius Nazianzenus & Nyſſenus in diverſis orationibus. Baſilius Seleuc. orat. 4. de Davide. Iſidorus Peluſ. lib. 5. epiſt. 350. & Joannes Chryſoſtomus tom. 6. ſerm. pro defunctis, hom. 21. in Acta, & hom. 3. in epiſtolæ ad Philippenſes*: quæ loca Jo. Matthæus Caryophilus Iconienſis Antiſtes Zachariæ Gergani græculi nugis eruditè opponit. Cum Doctoribus Græcis paria faciunt Latini. *S. Ambroſius in locum Apoſtoli 1. Cor. 3. & Hieronymus in 4. cap. Amos.* Auguſtini autem loca omnia vel obiter indicare prolixum foret: cùm neminem antiquorum plura vel clariora hac de re ſcripſiſſe conſtet, ut unus inſtar omnium eſſe poſſit. Tertia ratio eſt analogia fidei, & ſenſus perpetuus univerſæ Eccleſiæ in precibus & oblationibus incruenti

enti sacrificij pro defunctis offerendis; quod & ipse aliquoties te affirmantem audivi; hæc autem vana & irrita essent, nisi animas tali in statu & loco commorari credidisset antiquitas, ubi Ecclesiæ suffragijs sublevari possent. Tum etiam in veteris pœnitentiæ disciplina idem Ecclesiæ sensus elucet, quæ vindictam peccati nè ijs quidem, qui in extremo vitæ discrimine reconciliabantur, indulgendam censuit; sed sanitati restitutos, DEO & fidelium societati pœnitentiæ squalore satisfacere voluit. Ab hac igitur perpetua universæ antiquitatis sententia cur nunc demum Ecclesia recedat, vel hæreticorum protervię proculcandum relinquat dogma omnium Doctorum auctoritate stabilitum? Concilium veritatem catholicam cautè & prudenter decreto suo contra fidei subversores asseruit: simulque malas artes eorum, qui ex pietate quæstum faciunt, & populi simplicitati illudunt, proscripsit: ità ut quid ab homine Christiano veritatis, ac pietatis amante, tam in ipso dogmate, quam Concilij decreto desiderari possit, non videam; modò novitatis & partium studium animus non præpediatur.

Eadem levitate anathema infligi putas ijs, qui septem Sacramenta non confitentur. Sed dic sodes, cur Ecclesia catholica non damnet

damnet eos, qui duobus solis utcumque retentis, cætera quinque vel expungunt, vel Sacramentorum nomine indigna existimant? Tu negare non potes, Latinos pariter & Græcos septenarium numerum agnovisse à quinque retro seculis. Unde autem hanc sententiam utrique Ecclesiæ subortam existimas eo tempore, quo Græcorum schisma adversùs Latinos maximè feruebat? Quis eos nullas non dissidiorum causas aucupantes hac in parte Latinis tum conjunxit? Unde hanc utriusque Ecclesiæ observationem non nisi ex primitiva & Apostolica traditione acceptam, & perpetuo usu ad nostra usque tempora derivatam esse necessariò sequitur. Neque opus est, ut prolixius agam post eruditissimum, laudatissimumque opus Petri Arcudij Lutetiæ editum, quo consensus Græcæ Ecclesiæ cum Latina tam solidè ostenditur, ut nemo hactenus, quod sciam, contra hiscere ausus fuerit. Si ergo Angelo de cœlis, novum quid præter semel ab Apostolis tradita prædicanti, anathema intentet ipse Paulus; cur nos tam profanè in Ecclesiæ Sacramenta grassantes anathemati subjicere dubitemus? Præcipua hæc divinæ gratiæ instrumenta universa DEI Ecclesia semper agnovit, semper exercuit: & nunc demum post quatuordecim seculorum usum

ea novatoribus tollere & proculcare impunè licebit? Nam ut firmiſſimum illum etiam noſtro ſeculo utriuſque Eccleſiæ conſenſum taceam; ſanè Confirmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, cæteraque Sacramenta tam perſpicuè & conſtanter proxima Apoſtolorum temporibus Eccleſia credidit & exercuit, ut noſtro demum ſeculo ſinè manifeſto impietatis crimine abrogari, negari, & violari non potuerint. Mihi controverſias poſt tot eruditos Theologos retexere, animus non eſt: id breviter oſtendam, nullo modo me reprehendendum, quod antiquitatis ſententiam perpetuam novis dogmatibus prætulerim.

Confirmationis Sacramentum ab Apoſtolis traditum omnis antiquitas ſemper & ubique tenuit: contrà Novatiani id negantes & negligentes, omnium calculo ſinè ulla controverſia & exceptione, novatores & hæretici habiti. Quæro ego, ſi tum receptiſſimum per omnem Eccleſiam Sacramentum fuit, cur nunc ùt figmentum nullo veritatis fundamento nixum expungitur? Et ſi Novatiani id explodentes olim omnium calculo fuerunt hæretici, quomodo Lutherus, Calvinus, cæterique ſectarum patroni nunc eundem errorem errantes, ab hæreſi immunes? Ad hæc; ſi olim Eccleſia univerſa

verſa Novatianos jure damnavit ob violatum, aut neglectum hoc Sacramentum, ideoque non niſi Chriſmate confirmatos ad communionem eos recipi voluit; cur hodie temerariæ levitatis notam meretur, ſi novatores idem Sacramentum exſibilantes anathemate defigat? *Proinde miror quinam tu contra Moguntinos* §. 108. ferreæ frontis hominem pronunciare audeas, qui dixerit; ſive ex ſcriptura, ſive ex conſenſu antiquitatis demonſtrari poſſe, Sacramentum Confirmationis, quali nunc Eccleſia Catholica utitur, à Chriſto inſtitutum eſſe. Ego verò non ſinè manifeſta impietate in dubium vocari exiſtimo, quin Apoſtoli, quod ipſi fecerunt, quodque univerſæ Eccleſiæ faciendum tradiderunt, à Chriſto Magiſtro acceperint. Cùm ergo univerſa Eccleſia indè à principio Confirmationis Sacramentum ab Apoſtolorum inſtituto ſe accepiſſe, & eorundem exemplo exercuiſſe fateatur; indubiè ſequitur, Confirmationem illam à Chriſto per Apoſtolos inſtitutam, non poſtea ſubintroductam fuiſſe. Ab ipſis autem Apoſtolis Eccleſiæ traditum fuiſſe evidentiſſimè patet. Etenim Clemens Alexandrinus libro. *Quis dives ſalvandus, apud Euſebium hiſt. eccl. lib. 6. c. 35. & ipſe liber Clementis ſub falſo Origenis nomine non ità pridem à Gislerio editus,*

juvenem quendam à Joanne Evangelista Episcopo cuidam Asiatico commendatum commemorat; cui baptismate illuminato Episcopus signaculum Domini, ùt perfectam tutelam, contulit. Quo loco Baptismum & Chrisma, ùt diversa Sacramenta à Clemente poni, ex simili loco Stromat. lib. 2. certissimò apparet. Hinc Clementis discipulus Origenes ad Rom. 6. Baptismum & Chrisma conferri scribit, secundùm typum Ecclesiæ traditum: & Cornelius PP. apud Eusebium l. 6. c. 35. Novatum, cùm in morbo baptizatus esset, postea consecutum negat cum cætera, quæ Baptismum seqvuntur, juxta Ecclesiæ canonem, tum Episcopalem obsignationem. Dic quæso, à quo typum, vel canonem illum, seu regulam Ecclesiæ traditam putas, nisì ab ipsis Apostolis? SanèCyprianusCarthaginensis Episcopus in Africa, eodem tempore ab Apostolis deducit, quod baptizati Ecclesiarum Præpositis confirmandi offerebantur: ut per nostram, inquit, ordinationem, & manûs impositionem, Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Domini consummentur. *Cypriani mente & verbis loquitur Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 26.* Nemo discipulorum dabat Spiritum sanctum; orabant quippe, ut in eos veniret, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant: quem morem in suis Præpositis etiam nunc ser-

vat

vat Ecclesia. *Nec minus perspicuè S. Hieronymus dial. contra Luciferianum cap. 4.* Quod si hoc loco quæris, inquit, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum? disce, hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. *Cui deinde locum ex Actorum c. 8. subjungit*: quo etiam Innocentius I. celebri illa epistola ad Decentium Eugubinum utitur, ut recèns baptizatorum obsignationem solis Episcopis permissam doceat. Nunquid tot talesqve viri ferreæ tibi frontis videntur?

Sed quod tu frustra Apostolicam illam & miraculosam manuum impositionem allegari existimas ad hodiernam, ùt ais, Pontificiam Confirmationem, eò non minùs injurius es in secula primitiva, & omnes, quos laudavi, Ecclesiæ Doctores, quàm in hodiernam Romanam Ecclesiam: cùm jam illo tempore visibilis ista & miraculosa donorum effusio cessaverit. *Ideoque unus Augustinus reliquorum nomine tibi respondeat, tract. 6. in epist. S. Joannis*: Nunquid modò, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrûm,

utrùm linguis loquantur? & cúm videret eos linguis non loqui, ità perverſo corde aliquis veſtrûm fuit, ut diceret, non acceperunt Spiritum ſanctum? Vides hanc perverſi cordis aſſertionem à S. Auguſtino jam olim exploſam, cujus tempore miracula illa non minùs, quàm nunc ceſſârant. Neque tamen Confirmationis Sacramentum ideo de Eccleſia tollendum cenſuit, quod novatores poſtea fecerunt.

Eò autem rerum catholicarum planè te imperitum oſtendis, quòd nullam prorſus manus impoſitionem in hodiernæ confirmationis Sacramento adhiberi affirmare non verearis. Eccleſia catholica nihil ab antiquo ritu mutavit, qualem S. Gregorij Magni Sacramentorum liber jam olim deſcripſit, eundem Pontificale Romanum totidem verbis nunc retinet; ſcilicet, ubi confirmandi ad Epiſcopum perducti coram eo in genua procumbunt, ibi levata manu ſua ſuper capita omnium dicit: Omnipotens ſempiterne Deus, &c. emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum, &c. *Eandemque orationem Ambroſius lib. 3. de Sacramentis cap 2,* jam ſuo tempore in Confirmatione adhiberi ſolitam docet. Unde manifeſtiſſimè apparet, quam tu fruſtra inter veterem, & hodiernam Confirmationem, tum

etiam inter diverſarum Eccleſiarum ritus diſcrimen fingas, quæ viris doctis in eccleſiaſtica antiquitate probè verſatis non niſi commiſerationem exprimunt.

Sed cùm omnia perſequi, neque hujus loci, neque mei ſit inſtituti, addo, quod in hac quæſtione præcipuum & palmarium eſt. Tu Confirmationem meram ceremoniam, eamque liberam & indifferentem Baptiſmo olim conjunctam fuiſſe affirmas: è contra veteres omnes Sacramentum hoc à Baptiſmo diverſum exiſtimant, & Sacramenti nomine paſſim appellant. Atque ità longo temporum decurſu, uſuque perpetuo, à majoribus accepit, atque hodie etiam credit non ſolùm Latina, ſed & Græca Eccleſia. Tu, ubi commodum fuerit, tuæ opinionis argumenta ex antiquitate propones: ego interim pro mea, hoc eſt, catholica ſententia, aliquot indubitata veterum teſtimonia afferam, quæ nullis offucijs offuſcari poſſunt. *Tertullianus diabolum Chriſto etiam de Sacramentis æmulatum ſcribit, præſcript. c. 40.* quo loco præter Baptiſmum, & Euchariſtiam, Pœnitentiam quoque, & obſignationem Chriſmatis; item Ordinem, & Matrimonium diſertiſſimè Sacramentorum Chriſti nomine ac numero complectitur; *ut & lib. 1. adverſus Marcionem, c. 14. præcipuè*

autem lib. 1. *adverſus Praxeam c.* 5. *Unctionis Sacramentum diſertè appellat. Cum Magiſtro ſentit & loquitur Cyprianus epiſt.* 72. ubi hæreticorum rebaptiſmum progungnans, ait, parum eſſe ijs manus imponi, ad accipiendum Spiritum ſanctum; ſed tunc demum plenè ſanctificari, ſi Sacramento utroque naſcantur. *Sic Epiſcopi Concilij Africani apud eundem Cyprianum epiſt.* 70. *conſtituunt.* De errore & pravitate venientibus dandam per omnia divinæ gratiæ Sacramenta, unitatis & fidei veritatem. Quibus locis Confirmationis Sacramentum expreſſè non ſolùm à Baptiſmo diſtinguitur, ſed eidem opponitur. S. Auguſtini loca multa & clariſſima habentur de eodem Sacramento Chriſmatis, ex quibus perſpicuè patet eum non ceremoniam indifferentem, ùt tu ais, ſed verum & peculiare Sacramentum Confirmationem exiſtimâſſe, *quæ lib.* 2. *contra Petilianum, commentar. in Pſal.* 26. *& tract. in epiſtol. Joannis* 3. *&* 6. *videri poſſunt.* His duos addam antiquiſſimos graviſſimoſque Scriptores, Cyrillum Hieroſolymitanum, & S. Ambroſium, uterque Eccleſiæ Sacramenta initiandis neceſſaria explicans, peculiari ſermone de Baptiſmo, & alio peculiari de ſpirituali ſignaculo, quo poſt fontem confertur perfectio, ùt de diverſis Sacramentis, agit: *ùt ex illius ca-*

techeſi

chesi mystagogica 2. & 3. hujus Sacramentorum libro 3. apparet. Neque enim pura puta ceremonia, & Baptismi appendicula, ùt tu vis, specialem catechesin merebatur.

Præterea si Confirmationis Sacramentum hæreticis ad Ecclesiam reversis Spiritûs sancti gratiam confert, quam ex Baptismo mere formali extra Ecclesiam, quippe obicem divinæ gtatiæ ponentes, accipere non potuerant; mera illa secundùm te ceremonia efficacior erit, potiorque ad salutem, ipso Sacramento Baptismi; atque ità Sacramenti defectus non validiori Sacramento, sed nudæ ceremoniæ accessu emendabitur: quod quàm sit absurdum, & quàm omni doctrinæ & disciplinæ ecclesiasticæ contrarium, quis non videt? Omitto Africanam, & Cappadociæ, vicinasque Ecclesias; quæ, ùt dixi, non solo Confirmationis Sacramento, verùm iteratione Baptismi prioris vitium corrigendum pertendebant: sed catholicam reliqui totius Orbis sententiam à Concilijs, Patribusque expositam propono. *Cyprianus partem catholicam suo argumento sic premit, epist. 76.* Qui Hæreticis, sive Schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habéantne Spiritum sanctum Hæretici, an non habeant? Si habeant, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur

nitur ad accipiendum Spiritum sanctum? sed quia non habent, ideo apud nos manus imponitur, ut hic accipiant. *Hinc can. 7. Laodicenus*, Novatianos ejurata hæresi catholicè instructos sancto Chrismate inungi, & sic ad sancti mysterij communionem admitti constituit. Sic Basilius Magnus celebri illa epistola canonica ad Amphilochium, probans Laodiceni Concilij sententiam contra Cappadoces, de Novatianis conversis statuendum ait, ut qui ab ipsorum Baptismo accedunt ad Ecclesiam, ungantur à fidelibus. *Eamque Laodicenæ Synodi, & Basilij sententiam confirmavit paulò post Concilium Constantinopolitanum* I. *can.* 7. quo etiam obsignandi & ungendi formula Græcis hodie usitata præscribitur. Neque aliter canonem illum intellexerunt, explicaruntque Romanæ Ecclesiæ Præsules Concilio illi suppares. Siricius ad Himerium Tarac. Arianos, inquit, nos cum Novatianis, alijsque Hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem septiformis Spiritûs Episcopalis manûs impositione, Catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit. *Similia habet Innocentius I. epist. 2. Sed omnium clarissimè Leo Magnus loquitur epist. 85.* Qui baptismum ab Hæreticis acceperunt, sola invocatione Spiritûs

sancti

ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt; quia formam tantùm Baptiſmi ſinè ſanctificationis virtute ſumpſerunt. Hæc de Confirmationis Sacramento intelligenda quis dubitet? quò etiam nunc Eccleſia Catholica ab hæreſi venientes veteri more ſuſcipit. Veteri, inquam, more, idque non niſi per manum Epiſcopi. *Nam ùt epilogus Concilij Romani habet tom.* 1. *Conc. Colon. pag.* 225. jam ante dictos Pontifices Silveſter Papa conſtituerat, ut Presbyterum Arianum nemo ſuſciperet, niſi Epiſcopus ejuſdem loci eum reconciliaret, & ſacroſancto Chriſmate per Epiſcopalis manus impoſitionem ſancti Spiritûs gratia, quæ ab Hæreticis dari non poteſt, confirmaret. Concilio Romano accedunt Gallicana. *Arauſicanæ Synodo can.* 1. Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris eum Chriſmate & benedictione conſignari placuit. *Sic Concilium Epaonenſe can.* 16. Presbyteros, inquit, propter ſalutem animarum deſperatis & decumbentibus Hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, Chriſmate permittimus ſubvenire; quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo noverint expetendum. Vides Confirmationis Sacramentum Presbyteris, tantùm in articulo neceſſitatis, pro-

pter

pter salutem animarum ab Episcopis olim permissum fuisse. Nam extra urgentissimam necessitatem, per impositionem manûs fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi, Spiritum sanctum tradere, Episcopis tantùm licet, *ut habet Concilium Hispal. 2. can. 7.* Idemque supra Cypriani & Augustini testimonio probatum est. Et tu post Apostolorum exempla, post universalem totius primitivæ Ecclesiæ doctrinam & praxin, Sacramentum, quo illa animarum salutem conferri censuit, in ceremoniam arbitrariam & indifferentem, sinè justa Ecclesiæ censura mutari posse existimas?

Hæc de Confirmatione Sacramentorum numero asserenda paulò prolixius scripsi, ut videas quàm bene ex antiquitate, sinè ferreæ frontis aut plumbei cordis nota, se tueatur catholica Ecclesia, etiam ubi tu pessima causa eam niti existimas.

Multò igitur facilius reliquis Sacramenti nomen vendicatur, quorum quædam ità sunt perspicua, ubi ipsi sectæ vestræ auctores in Sacramentorum numero ea habuerint. *Quod de Pœnitentia fecisse constat Melanchthonem Apologiæ Confessionis Augustanæ cap.* 13. & ipsum Lutherum contra triginta duos Lovaniensium articulos; tum verò catechismus minor, qui puerulis apud nos edi-

scen-

ſcendus proponitur, idem teſtatur: ubi inter articulum de Baptiſmo & Euchariſtia, caput de Clavium poteſtate interjectum fuit. Si ergo Pœnitentia verè eſt Sacramentum, habens mandatum Dei & promiſſionem gratiæ, ùt Apologia dicto loco ait, eandemque ob cauſam Lutherus eam Sacramentum libenter confitetur; peccant ſanè ejus aſſeclæ, qui Eccleſiam catholicam eo nomine ſugillant, quòd non confitentes anathemate feriat.

Matrimonium quoque tacito quodam conſenſu Lutherani in Sacramentorum numero habent, dum perpetuò ſacrum conjugij ſtatum appellant Et cur Sacramentum poſt Paulum Apoſtolum credere & vocare dubitet Eccleſia? Sanè omnium temporum Patres & Doctores frequentiſſimè ità appellant, quod unius Auguſtini locis ferè innumeris oſtendi poteſt, præſertim ex libro de bono conjugali; ut *Tertullianum lib. contra Marcionem c. 18.* aliquoties Sacramenti nomen Matrimonio tribuentem, alioſque taceam.

De Sacramento Ordinis ſectarum auctores Lutherus, Melanchthon, & Calvinus itidem diſcrepant. Ille enim cum ſectatoribus Illyrico & Chemnitio, Sacramentum eſſe mordicus negat; duo autem po-

ſteri-

ſteriores in Sacramentorum numero habendum oſtendunt. Ea ſcilicet vis eſt catholicæ veritatis, ut adverſariorum oculos quamvìs nictitantes penetret, ſuaque luce percellat. Nam ab ipſis Apoſtolis inſtitutam, paſſimque uſitatam, ùt plurima ſacræ Scripturæ loca teſtantur, univeſa DEI Eccleſia ſuſcepit, & pro vero atque indubitato Sacramento ſemper habuit Ordinationem, quæ fit per orationes, & manûs impoſitionem ab Epiſcopis, quos in Apoſtolorum locum ſucceſſiſſe conſtat. Auguſtinus ſuo tempore neminem dubitâſſe affirmat, quin Ordo æque Sacramentum eſſet atque Baptiſmus, *dum ait lib. 2. contra Parmenianum cap. 19.* Ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti. Si enim utrunque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda eſt. Sol mero meridie clarior non eſt hoc Auguſtini teſtimonio, cui nullæ hæreticorũ ſtrophæ tenebras unquam offundent. *Sic Leo Magnus epiſt. 81.* magna devotione curandum monet, nè tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. *Idem epiſt. 87.* contra digamorum ordinationes invehens; Quis ergo, inquit, diſſimu-

lare

lare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam? His accedit S. Hieronymus, Vigilantium ejusque asseclas exagitans his verbis: Nisi prægnantes Clericorum viderint uxores, Christi Sacramenta non tribuunt. Hoc est, ut eadem epistola loquitur, Christi ministerio arbitrantur indignos. Unde eum Ordinationem Sacramenti nomineintelligere dubium nullum est. *Adderem S. Gregorij Magni locum omnium hac de re clarissimum, in 4. Regum cap. 5.* nisi ille ob tenebras ejus tempore Ecclesiæ jam offundi cæptas, ùt vos quidem dicitis, intestabilis vobis haberetur, qui vix primam & purissimam audis antiquitatem. Certò credo me tam præclaris auctoribus nixum multò rectius Ordinis Sacramentum cum catholica Ecclesia admittere; quàm tu cum Luthero ejusque asseclis, omnis antiquitatis hostibus, idem neges.

De Extrema unctione habemus Jacobi Apostoli præceptum: habemus doctrinam & usum perpetuum veteris Ecclesiæ; quam S. Anscharius Septentrionis Apostolus cum catholica fide nostris quoque Provincijs intulit, ùt ex ejus vita Coloniæ nuper edita constat. Tu veniam dabis, si antiquitati fidem potius quàm tibi tanta in re tribuam, & de Sacramentorum numero Ecclesiæ judicium tuo præferam.

Tertio

Tertiò dicam impingis Ecclesiæ Romanæ, quod Joannis & Christi baptismum confundentes anathemate defigat. Sed quid peccavit Concilium Tridentinum, si fidei depositum fideliter custodit, & catholicum, hoc est, vetus & universale omnium seculorum, omniumque Ecclesiæ Doctorum dogma, disertissimis sacræ Scripturæ verbis innixum, à novatorum perversione vindicat? Quisquis Concilium eo nomine sugillare non veretur, idem sibi dictum putet à S. Hieronymo, quod Luciferiano eundem errorem erranti jam olim respondit: Ità tu perversè religiosus, dum servi Baptismo plusquam habuit, tribuis, Dominicum destruis; cui nihil amplius relinquis. Nec minus graviter se ab Augustino, quàm Petilianum, objurgari existimet, ubi ait: Baptismus Joannis ad baptismum Christi non pertinet, nec ejus pars ulla vel gradus est; alioquin aut tunc iterabatur aqua Baptismi Christi, aut si Baptismus Christi tunc per duas aquas perficiebatur, minùs perfectus est modò, quia non datur illa, quæ per Joannem dabatur; quodlibet autem horum impium ac sacrilegum est opinari. Quid igitur cum universa DEI Ecclesia damnare formidem ejusmodi dogma, quod ad impiam & sacrilegam opinionem viam sternit? Nec ignoro, quam operosè alibi

bi contendas ostendere, quæstionem hanc otiosam & ambiguam esse, ideoque neutram in partem debuisse determinari à Concilio. At si otiosa, cur Calvinus, Melanchthon, alijque reformatores alteram partem contra SS. Patres & Ecclesiam catholicam post Luciferianos & Donatistas resuscitârunt, & tam pertinaciter nunc etiam urgent? Illud vehementer miratus sum, quòd sententiæ tuæ patronum ipsum Augustinum alibi producere non verearis, quo nemo acrius catholicum dogma adversùs sui temporis hæreses propugnavit; ut solus Tridentinæ definitioni tuendæ abunde sufficiat. Sed mihi professionis meæ rationem reddere propositum est, ut non temere me antiquitatem contra novitates, universitatem contra privatas opinones secutum ostendam; non ut contentionis serram cum quoquam reciprocem.

Cæterum hisce tanquam levioribus, & utcumque ferendis multò jam graviora & planè intoleranda subjungis: quæ non solùm aures Batavas sive Saxonicas, sed etiam Græcas offendant. Ea sunt, Primatus supra reliquam omnem Ecclesiam Pontifici Romano jure divino assertus, adeoque infallibilis Spiritûs sancti assistentia eidem, ùt toti familiæ Christi Præfecto, & Ecclesiæ

 sub

ſub Chriſto Domino Capiti ſupremo, in rebus fidei totius Eccleſiæ conſilio ac nomine definiendis, attributa; cui adjungis mutilationem Euchariſtiæ, ſive communionem ſub una ſpecie, & Miſſam ſine communicantibus; quam Lutherus angularem vocat, ipſique Diabolo adeò abſurdam & impiam viſam aſſerit, ut nocturno congreſſu validiſſimè eam oppugnârit, & abrogandam eſſe Luthero planiſſimè perſvaſerit, neque alia ſolemnis Liturgiæ unà cum privata tollendæ ratio illi fuit. Quocirca quid ejuſmodi Magiſtri auſpicijs atque auctoritate Lutherani & Calviniani rejiciant, non magnopere mihi curandum exiſtimo: dummodò id cum primitivæ Eccleſiæ univerſali ſenſu & praxi conveniat; quod in hiſce non minùs quam præcedentibus articulis liquidò oſtendi poteſt.

Nam Romanæ Eccleſiæ Primatum Græci ante Imperij diviſionem, & poſtea florente Orientis Imperio, diu ante ſchiſma & ſecutam indè Turcicam ſervitutem, agnoverunt. Irenæus Græcus ſcriptor potentiorem illam principalitatem Eccleſiæ Romanæ, ad quam, ait, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, non ab humano privilegio, ſed à fundatione & traditione Apoſtolica ac-

cerfit. Nicæni Patres cùm ad Romani E-piscopi exemplum Patriarchalibus Ecclesijs prærogativas suas *can.* 6. confirmant, non juris humani privilegium, sed antiquos mores, & veterem, hoc est, Apostolicam traditionem obtendunt. Eundem Primatum confitentur Patres Synodi Constantinopolitanæ *can.* 3. ubi Regiæ urbis Episcopo secundum honoris locum decernunt. In Ephesini Concilij Actis Cyrillus Alexandrinus de Nestorij hæresi recens tum ex orta ad Cælestinum PP. refert, longa Ecclesiarum consvetudine persvasus, ùt ipse testatur. Eidem Sedis Romanæ authentiam, hôc est supremam & liberam pro arbitrio agendi auctoritatem, & loci sui vicariam potestatem confert Cælestinus; ut sententiam, qua Nestorium circumscripserat, eò efficacius potentiusque exequatur. Unde nam illa authentia Sedis Romanæ, ab humano an divino jure? *Certè si S. Prosperum audiamus con. collat. cap. 41.* Cælestinus Cyrillo ad exsecandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio. *In eodem Concilio parte 2. act. 2.* Philippus Presbyter gratulatur Synodo, quod lectis Cælestini literis sancta membra sancto Capiti se exhibuerint. Caput autem totius fidei, inquit, & Aposto-

lorum est B. Petrus. Vides, puto, dignitatem Capitis, sive Primatum Ecclesiæ Romanæ B. Petro Apostolo, hoc est, jure divino, niti, idque luculentis verbis mox idem Philippus copiosius declarans ait: Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum Caput & Princeps, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, & semper in suis successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundùm ordinem Successor & Locumtenens sanctus beatissimusque Papa noster Cælestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc sanctam Synodum misit. Hæc in actis Ephesini Concilij. Verùm quæ nulli tum dubia, sed seculis omnibus nota, nostro tamen tempore ùt dubia, & antiquitati incognita, vel primo loco inter absurdas Romanæ Ecclesiæ assertiones ponis, tractatu tuo contra Moguntinos §. 142. Dic bona fide, mi Calixte, cui tutius credam, tibi neganti, an affirmanti Concilio? Accedit, quod Juvenalis Hierosolymitanus ibidem *act.* 4, affirmat, morem fuisse inde ab ipsis

deri-

derivatum traditumque Apoſtolis, ut Sedes Antiochena à Romana dirigatur, & apud eam judicetur. Unde act. quinta ſancta Synodus ultimam de Joanne Antiocheno ſententiam Cæleſtini judicio reſervat. Tunc Apoſtolicam illam ad humanum vel divinum jus, hoc eſt, ad Petri Primatum referendum exiſtimas? Chalcedonenſis Synodi Acta eundem Primatum Eccleſiæ Romanæ, in Petrum Apoſtolorum Principem collatum, innumeris propemodum locis confirmant. Omitto, quæ in præliminaribus epiſtolis Imperatorum & Auguſtarum habentur; quod privata vel domeſtica teſtimonia ex Occidente prolata poſſint videri; *ea ſcilicet, quæ epiſt. 15. 25. 26. & 33. leguntur.* Sanè actione 1. Beatiſſimus & Apoſtolicus Epiſcopus urbis Romæ omnium Eccleſiarum Caput vocatur, quia nimirum Sedem Apoſtolicam gubernat. *Act.* 3. Dioſcorus Epiſcopatu privatur à Leone Papa per Legatos & ſanctam Synodum, idque ope beatiſſimi & glorioſiſſimi Petri Apoſtoli, qui eſt petra, & crepido Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum. Depoſitionis cauſam præcipuam non ſemel adducunt Patres, quod contra ipſam Sedem Apoſtolicam latrârit, & in ſanctum Leonem excommunicationem promulgare conatus ſit; hoc eſt contra ipſum

illum cui vineæ custodia à Salvatore commissa est; ùt habet totius Synodi relatio ad Leonem; quem vocis B. Petri interpretem omnibus constitutum, Concilio ùt Caput membris præfuisse ajunt. Et quamvis *act.* 16. ex Constantinopolitani Concilij decreto, secundum dignitatis locum Regiæ urbis Episcopo confirment, nihilominus Primatum & eximium ac præcipuum honorem Romanæ Sedi conservant: quod in eadem relatione Patres ità explicant, ût Apostolici splendoris radio, quo Roma fulgebat, Ecclesiam Constantinopolitanam illustrari, ejusque bonorum participatione ditari petant. Vides vir optime, quid de Primatûs Romani origine ac fundamento Orientalis Ecclesia primis quinque seculis crediderit, priusquam machinationis vertigine in schismatis barathrum præceps ageretur. Nam post invasam totius Illyrici, tum etiam Siciliæ & Calabriæ jurisdictionem Ecclesiasticam, Constantinopolitanum Patriarcham Sedi Apostolicæ non solùm æquare, sed etiam præferre conati sunt, Nilus, Barlaamus, alijque Schismatici, non solùm livore, sed etiam imperitia, & veteris Ecclesiæ disciplina ignoratione excœcati. Quotiescunque tamen veritatis & unitatis amor Græcorum animos subijt, eandem cum ortho-

thodoxa antiquitate ſententiam profeſſi ſunt. Unde in Synodo Florentina *ſeſſ.* 25. cùm Latini Primatum Pontificis ſacræ Scripturæ definitioni dictiſque Sanctorum inniti ſcripſiſſent; Græci, ut ſuis quoque Patriarchalibus privilegijs conſulerent, addi voluerunt; Papam ſua privilegia habere juxta Canones, & dicta Sanctorum, ſacramque Scripturam, & acta Conciliorum. Unde mox in decreto unionis Primatus Pontificis jure divino aſſeritur: quippe cui in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Chriſto Jeſu Domino noſtro plena poteſtas tradita ſit. Hæc Græca Eccleſia ex majorum ſuorum & totius antiquitatis ſenſu; quæ hoc loco pluribus à me aſſeri neceſſum non eſt.

Nec magìs Græcos offendere poteſt Communio ſub una ſpecie, quam ipſi æquè ùt Latini jam olim tenuerunt, atque etiam hodie paſſim retinent. Nam recens baptizatis infantibus de ſolo calice guttam inſtillant; ægrotis autem & moribundis ſola panis ſpecie viaticum exhibent; utriſque tamen verum & integrum Euchariſtiæ Sacramentum hoc modo ſe tradere non dubitant. Idem cæteri omnes ad Orientem & Meridiem Chriſtiani, præſertim Abaſſini, antiquo & perpetuo ſuæ Eccleſiæ more faciunt.

Neque Euchariſtiam mutilari exiſtimavit antiquitas, cum fidelibus particulas panis conſecrati ad privatam communionem domum aſportandas daret, vel ad Anachoretas in eremum mitteret. Omnium verò clariſſimè utriuſque Eccleſiæ conſenſum perpetuum oſtendit communio ex præſanctificatis, qua Græci ferijs Quadrageſimalibus, Latini ſola feria ſexta majoris hebdomadæ utuntur, ex antiquiſſimo utrique inſtituto: neque tum quidquam de Sacramenti mutilatione ſuſpicabantur.

Liturgiam ſinè communicantibus Græcis juxtà ac Latinis in uſu nunc eſſe, doctiſſimi ejus nationis Viri, & ipſe uſus, quem paſſim per Italiam cernere eſt, teſtantur; eoque falſam Chythræi criminationem refellit Allatius, cujus librum apud Batavos editum, tibi jam viſum lectumque non dubito. Sed nè vocum ambiguitate fallamur, dicam tibi, mi Calixte, quid hìc tum in cæteris Eccleſijs urbicis, tum præſertim in majoribus Baſilicis fieri obſervaverim; ubi feſtis diebus, hoc præſertim anno, in tanta exterorum frequentia, myriades hominum ad ſacram Communionem confluunt. Ibi ſummo mane Parochus, aut alius Sacerdos, ad deſtinatum huic functioni Altare Dominici Corporis Sacramentum conſecrat, ea

par-

particularum multitudine, quæ populo fideli- um comunicando eo die suffectura videatur, communicant tum ejusdem Sacerdotis ma- nu, quotquot sacro officio adsunt: cæteri qui & ipsi communicaturi toto deinde ante- meridiano tempore infinito propemodum numero citius tardius templum accedunt, primum Missæ sive Liturgiæ officio adsunt, quod ob populi frequentiam & commodi- tatem à diversis Sacerdotibus ac diversa Al- taria subinde celebratur: eoque finito ad al- terum illud Altare, quod huic ministerio destinatum dixi, Communionem accipiunt. Túne Sacerdotem illum sinè communican- tibus Missam celebrâsse; aut eos, qui cele- branti adfuêre, cum Sacerdote suò non com- municâsse affirmabis? non dicam commu- nione precum & unitate spiritûs, sed ipsa participatione specierum sacramentalium: quamvìs ad aliud Altare de alterius Sacer- dotis manu eam acceperint? Puto te non dicturum; nisi unam Ecclesiam, unum Al- tare, unum Sacrificium, unum Sacerdoti- um, unam inter omnes fideles unius ejus- demque panis communicationem, & unam unius corporis cum uno Capite unionem negaveris, quam negare certè non potest, nisi qui factionum studio Christi Ecclesiam planè ignoret. Tu verò, mi Calixte, num-

quid omnes, qui olim ſacræ Liturgiæ officio aderant, de Euchariſtia, quæ per ſingulas Synaxes celebrabatur, communicâſſe exiſtimas? Neque hoc puto dixeris; qui antiquiſſimorum Patrum de communicantium infrequentia querelas non ignoras. Non laudans dico, ſed ut neceſſitatis legem etiam tunc abfuiſſe oſtendam.

Sed quoniam tu ea, quæ in Catholicorum Liturgia minùs probanda cenſes, expoſuiſti; liceat mihi eadem libertate de nova veſtra viciſſim ex te perquirere: qua Pontificiæ Miſſæ errores ſublatos vos quidem dicitis: nos omnem veteris Liturgiæ vel Græcæ vel Latinæ faciem abolitam everſamque certò ſcimus. Non dicam de Calvinianis, Anabaptiſtis, Socinianis, quos præter externos ritus ipſius quoque Sacramenti veritatem ſuſtuliſſe ingenue fateris: ſed Lutheranorum Miſſa, ſi tamen hoc nomine appellanda, quid præter merum nomen apud vos habet? quamvìs & hoc ferme interciderit. Synaxes illæ ſolemnes, quibus unio Eccleſiæ cum Chriſto Capite per Oblationem, Communionemque ſanctiſſimi Corporis ejus fovetur ac nutritur, ità olim omnibus communes erant, ut ijs non adeſſe piaculum duceretur graviſſimum, & pœnæ ſupplicijque loco eſſet, ſi quis vel in-

tegræ actioni, vel parti præcipuæ interesse prohiberetur, quæ Canonis nomine nunc appellatur. Eo enim cùm post orationes aliquot & lectiones sacras, earumque explicationes perventum esset, præter Catechumenos & energumenos, etiam pœnitentes sanctuario excludebantur. Tota hæc actio apud vos in concionem mutata est: hujus deinde dimissa concione appendicula quædam est qualiscunque illa Missa, seu communionis formula, veteris Liturgiæ in locum subintroducta; quam cæteri ea die non communicaturi parum aut nihil ad se pertinere putant. Ità nunc Concio caput est Synaxeos, cujus pars ex veteris Ecclesiæ instituto & præparatio esse solebat.

Sed profectò ut te Missa catholica sinè communicantibus offendit, ità mihi multó magìs communio vestra sinè Missa displicet. Quod enim Missæ vestigium in vestra illa actione, præter externa quædam, vestes dico, & vasa, & nonnulla inania catholicæ Liturgiæ imitamenta? Quomodo enim Missa sinè oblatione? quomodo oblatio sinè Sacerdote? quomodo Sacerdos sinè Ordinatione Episcopi? quomodo Episcopus sinè legitima & Apostolica sucessione? vel quomodo verum Sacramentum Corporis Christi, extra Christi Ecclesiam? Manifestum

enim

enim eſt, ùt ait S. Cyprianus, apud omnes Hæreticos Spiritûs ſancti gratiam non eſſe, nec eorum Sacrificia, quamdiu Hæretici ſunt, poſſe DEO placere: neque ſpiritalis gratiæ ſanctificationem Sacrificijs eorum tribui, qui offerunt ab Eccleſiaſtici corporis unitate disjuncti. Solius enim Eccleſiæ Deus delectatur ſacrificijs, quam Sacrificium Deo facit unitas ſpiritalis: ubi & fidei veritas nullam credit in Trinitate diſtantiam, & pacis tenacitas fraternam ſervat in caritate concordiam. Attende tibi, *ait lex Deuteronom.* XII. nè offeras holocauſta tua in omni loco quemcunq; videris; ſed in loco, quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum. Audi, quis ſit locus electus, ait S. Auguſtinus Rogatiano Donatiſtæ, & quæ tribus Domini. *In Pſalm* 131. *habes: quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi.* Hic eſt locus electus, hic mons ſanctificatus, hæc civitas ſupra montem poſita, ut abſcondi non poſſit, hæc radix catholica, hæc vitis fructifera longè latéque diffuſa: & ego, inquit, dico tibi: Attende tibi nè offeras in omni loco, id eſt, in omni hæreſi, & dicas: & hic Deus, & ibi Deus eſt. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, ait Cyprianus, Chriſti Eccleſiam ſpargit, unica enim Sponſa Chriſti unam Sponſi domum novit,

unius cubiculi castitatem casto pudore custodit. Stare tu & vivere putas posse de Ecclesia recedentem? sedes sibi alias & diversa domicilia condentem? Sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege continet, ut Agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur. Caro Christi & sanctum Domini ejici foras non potest: nec alia ulla credentibus præter unam Ecclesiam domus est. Una autem Ecclesia, una & intus esse & foris non potest. Qui enim de Ecclesia exierunt, certè in Ecclesia non sunt, ideoque quæcunque extra Ecclesiam tenentur & Sacramenta, & Scripturæ, ad speciem tenentur, non ad salutem: cùm ista in sola Ecclesia catholica salubriter habeantur, ubi Fides cum Caritate retinetur. Extra hoc corpus, inquit S. Augustinus, neminem vivificat Spiritus sanctus, per quem charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, neque enim particeps est divinæ caritatis, qui hostis est unitatis.

Tu verò optimè nôsti, quæ unitas sit apud eos qui ab Ecclesia catholica recesserunt; ubi ut omnes à Catholicis, ità à seipsis singuli ferali odio diffident. Etenim ut Samsonis vulpeculæ caudis colligatæ capite in diversa tendebant, ità illi solo catholicæ veritatis odio conjuncti cætera omnia to-

to

to cœlo differunt. Quinimò sola unionis conciliandæ mentio, pacisque studium omnium odio in se concitando sufficit. Hìc teipsum tibi propono, qui non meminisse non potes, quomodo Turonensi colloquio Augustani tui ad Calvinianos te rejecerint, tum verò nuperi librorum indices ostendunt, quàm non fraternè ijdem congregales tui scriptis non uno loco provulgatis te exagitent. Ità dum nescio quod Ecclesiæ simulacrum ex omni Sectarum, Schismatumque genere, tamquam Babylonici colossi pedes ex ferro, testa, lutoque conflare conaris, illi ipsi qui conglutinari nec possunt, nec volunt, te oleum operamque perdentem convicijs contumelijsque traducunt: adeoque dum omnium esse cupis, nullius es; & Ecclesia, cujus ideam te fingis, spatio ferme imaginario coarctatur. Quid enim magis dissonum ab ipso fidei Symbolo? quid religionis Christianæ principijs magis adversum dici aut cogitari potest, quam ut puriorem Ecclesiam ad Holsatiæ nostræ angulum, & unam atque alteram Ducatûs Brunsuicensis Præfecturam restringere quis velit? cæteras Orbis Provincias erroribus, & superstitionibus oppressas ad veritatis lumen caligare existimet?

Agnosco sanè Academiam vestram singulari-

gulari quodam Dei beneficio, & ſapientiſſimorum Principum cura, Viris eruditis & accurata docendi ratione cæteris per Septentrionem Scholis palmam præripere; helluationes & morum corruptelam, bonæ mentis peſtem, obnixè averſari; tum quod præcipuum duco majorem ſacræ antiquitatis cognitionem ad fidei controverſias diſceptandas adhibere: toto tamen cœlo abeſt, ut Catholicæ Eccleſiæ ad invidiam obduci poſſit, imò quantiſcumque doctrinæ præſidijs feliciter inſtructa, hoc uno eſt infelix, quod Catholica non eſt; dum Lutheri partem ſequuta, ſciſſuras contra univerſi Orbis unitatem fovendas ſuſcepit.

Extrema malorum ſunt Hæreſis & Schiſma, unde præſens fidei jactura, & inevitabile ſalutis naufragium ſequitur, ab hac peſte nemo unquam pius, nemo ſapiens vitiatæ diſciplinæ & corruptis Eccleſiæ moribus remedium quæſivit. Ipſa enim ſeparatio impios oſtendit, ùt ait Fulgentius, quæ tales eccleſiaſtico corpori non ſocios, ſed adverſarios facit. Neque enim à conventu eccleſiaſticæ unitatis corpore ſepararentur & loco, niſi priùs ab eccleſiaſtica fide diſcederent corde corrupto. Habet quidem ager Dominicus præter boni ſeminis frugem etiam zizania, eaque proh dolor! copioſè

ab

ab inimico homine ſuperſeminata, verùm non ideo ſegetem proteri aut exuri jubet paterfamilias; ſed zizania cum ipſa fruge ad meſſem uſque tolerat. Area hæc Domini ventilabro permundanda paleas frumento mixtas uſque in finem ſeculi ſuſtinere non recuſat. Exurentur ſuo tempore zizaniorum faſciculi ſinè Meſſis detrimento: illæſo tritico paleæ diſpergentur. Neminem intra Eccleſiam Catholicam rectè credentem, & bene viventem aliena peccata maculant. Animæ ac ſaluti ſuæ injurius eſt, qui palearum odio aream deſerit; cùm frumentum non niſi ex area congregetur in horreum.

Nec deſpicienda eſt Chriſti Sponſa, quod diurno peregrinationis æſtu fuſca; quod decolarata longæ ſerenitatis Sole, quod etiam ſeculari pulvere aſperſa nunc videatur, nigra quidem illa, ſed formoſa: cujus gloria omnis interna cùm ſit, æmulorum oculos, in nævos rugaſque cutis externæ tantùm intentos fallit.

Sed bene eſt, quod inanis illa & fictitia Eccleſiæ larva, quam Sectarum auctores magna puritatis ſpecie venditant, nullis fucorum pigmentis hactenus ità incruſtari potuit, quominùs ſuam prodat deformitatem: quippe cui nihil ſolidæ pietatis & ſancti-

ctimo-

ctimoniæ ſubeſſe ſtatim deprehendit, qui paulò penitius introſpicit. Nam quod tu ſeveritatem diſciplinæ eccleſiaſticæ fratrum Bohemicorum exemplo reduci deſideras, ea vetus querela eſt, & inane votum, à Melanchthone ante annos CXV. conceptum, vagiente adhuc in cunis Lutheraniſmo: quem ſi ſeneſcentem nunc adulta confirmataque licentia ad obedientiæ jugum retrahi poſſe exiſtimas, ſanè falleris. Excutere jugum, non mutare voluit; omnemque conſcientiæ coërcendæ rationem carnificinam arbitratur. Cur enim non de veteri pœnitentium diſciplina potius reſtituenda cogitas? cur non vitæ religioſæ, & conſiliorum evangelicorum obſervationem in uſum revocare ſtudes? Sed ità fit: filius ille adoleſcentior cùm domum menſamque paternam reliquiſſet, diſſipata ſubſtantia peregre ad porcorum ſiliquas ſe projecit. Ità poſt conculcatas & exuſtas à Luthero Canonum leges, Patrumque regulas, poſt proſcriptos Epiſcopos, poſt everſa ſanctioris vitæ aſceteria, monitores correctoreſque Bohemicos deſideratis: quaſi tam altum profanatæ religionis ulcus tali cataplaſmate perſanari poſſit.

Ego verò, mi Calixte, multò opportuniorem medendi modum tibi patriæque

noſtræ proponerem, ſi ſanis conſilijs locus relinqueretur; majorque veritatis pietatiſq; reſtaurandæ, quàm factionum propugnandarum cura & ſolicitudo eſſet: cogitarentque Principes, quæ mala in Rempublicam, quæ vitia & corruptelæ in mores vitamque privatam, ex religionis ſubverſione profluxerint: quàm timendi ſint ipſis hypocritæ, & fanatici homines, qui defecatiſſimam religionis puritatem profeſſi, divinas humanaſque leges promiſcua facilitate proculcant, & ſceleribus atque parricidijs eò graſſantur, nè à quoquam dependeat, vel coërceri poſſit effrenis quidvis agendi licentia. Meritò Eccleſia Catholica Mater Chriſtianorum veriſſima, inquit Auguſtinus, non ſolùm ipſum Deum, cujus adeptio vita eſt beatisſima, puriſſimè atque caſtiſſimè colendum prædicas; ſed etiam proximi dilectionem atque caritatem ità complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis ſuis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu cùm ætates gradusque omnes officijs ſuis inſtruas, doces etiam Reges proſpicere populis, mones populos ſe ſubdere Regibus; quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus conſolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus diſciplina,

quibus objurgatio, quibus ſupplicium, ſedulò doces; oſtendens quemadmodum & omnibus omnia, & omnibus caritas, & nulli debeatur injuria. Deinde vitæ ſpiritualis magiſtram eandem prolixè celebrans, addit præclarè: Quod utinam iſti Hæretici (Eccleſiæ ſcilicet Catholicæ contemptores) intelligere ſi valerent, nuſquam profectò Deum niſì apud te, atque in tuo gremio, minimè ſuperbi & bene pacati venerarentur. Ad hanc tutiùs confugies, mi Calixte, quàm ad fraternitatem Bohemicam, ſi Eccleſiæ doctrinam diſciplinamque apud noſtros reſtitutam cupias.

Ad hunc ſalutis portum te invitare non deſinam, ad quem ſedulò perveſtigandum tua in primis opera me excitatum profiteor. Nam Romanam Eccleſiam, unam illam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam eſſe non tam facilè mihi licuiſſet perſpicere, niſi antea tuo ductu certò crediđiſſem, eam non Antichriſti ſedem, & Babylonicæ meretricis lupanar, ſed verè Eccleſiam etiam nunc eſſe, & ſalutis ſpem piè in ea viventibus neutiquam denegandam; eò quòd præcipua fidei capita, quibus fundamenti inſtar ſalus noſtra innititur, ſalva & immota retineat. De reliquis, ſin abſque partium ſtudio eſſet, unionem aliquam vel ſaltèm ſyncreti-

ſmum iniri poſſe, exiſtimabas. Ad hæc multa temerario illo reformationis tumultu abrogata dolebas, quæ cum magno pietatis emolumento potuiſſent retineri, multa quoque Eccleſiæ Catholicæ falſa, & abſurda fatebaris affingi, quæ aut planè ignoret, aut ipſa improbet. Ità tu Hermæ vialis inſtar in bivio defixus, digito intento viam, qua ad Eccleſiam Catholicam pergerem, mihi ſubindicâſti.

Quod autem à ſententia, quam maturo conſilio poſt longas atque ardentiſſimas preces amplexus ſum, tuo colloquio me dimoveri poſſe exiſtimas, id verò fiet, ubi aliam ſcripturam, alia Conciliorum acta, aliam eccleſiaſticam hiſtoriam, & diverſa Cypriani, Auguſtini, aliorumque Patrum ſcripta, ab ijs, quæ certa & indubitata Romæ conſului, mihi exhibueris. Nam eluſiones, & ſubterfugia Spalatenſis, & ſimilium mangonum, in tam perſpicua antiquitatis ſententia admittere non poſſum.

Interim te, mi Calixte, per Deum & Chriſtum ſalutis noſtræ auctorem oro atq; obſecro, animæ tuæ negotium tibi commendatiſſimum habeas; ſerioque cogites de Eccleſia Dei, Columna & Firmamento veritatis, qualem eam ab Apoſtolis, Viriſque Apoſtolicis fundatam, totoque Orbe diffuſam, prima quinque ſecula viderint: quibus illa

fidei dogmatibus, quibus Sacramentis, qua disciplina, quo regiminis modo tunc fuerit instructa; quanto studio puritatem & unitatem suam adversùs hæreses & schismata vindicârit. Ejus statum faciemque ubi diligenter inspexeris, tum sinè odio studioque partium dispice, quàm omnia illa nunc salva supersint in Romana, cæterisque cum Romana communicantibus Ecclesijs; eamque & nominis & dogmatis catholici hæredem, atque Apostolici depositi custodem agnosce. E contra perpende, quam truculenter & impiè in Matris viscera sævierint infausti illi reformatores; ut faciem ejus deturpaverint, artus dilaniârint: ut pro veteri catholica doctrina suos quique substituerint errores & deliria: ut sacram Scripturam non secundùm perpetuum & universalem sensum & consensum SS. Patrum explicent, sed ex cerebri sui libidine novis & privatis interpretationibus pervertant: ut Sacramenta eorumque ritus abrogârint; Apostolicas traditiones, omnemque veterem disciplinam, Patrum & Conciliorum saluberrimis Constitutionibus firmatam, sustulerint, vel enervârint; consilia evangelica & vitæ sanctioris studia exploserint; hierarchiam ecclesiasticam, & omnem præcipiendi & parendi distinctionem confuderint. Sublata Episcoporum aucto-

ritas, nudo tantùm nomine ad ditiones reditusque Ecclesiarum occupandos nonnuspiam servato. Ordines Presbyterorum, & Diaconorum, cæterique officiorum ministeriorum gradus abrogati: denique nova Ecclesiæ facies introducta omnibus seculis ignota; ad cujus conspectum quotquot indè ab Apostolis fuêre Doctores, Patres, Episcopi, Virique sancti, velut ad monstrum & errorum lernam nunc cohorrescerent.

Et quoniam te Virum doctum, & antiquitatis sacræ unum ferè præ cæteris studiosum compello, cogita quanta Septentrioni nostro ex infelici illa religionis subversione ignorantiæ cœcitas incubuerit. Patrum, & Ecclesiæ Doctorum non scripta tantùm sed nomina ipsa ignota non solùm vulgo, sed ijs qui in Ecclesijs Scholisque docendi munus sustinent. Si quæ fortè cuiquam nota aut lecta, ex rhapsodis & Ecclesiæ perduellibus, ea tantùm consarcinantur loca, quæ ad veritatem oppungnandam utcumque facere videntur. Scis quali librorum suppellectile Ministri & Prædicantes apud nos instructi, ex quibus postillarum lacunis illi pastores doctrinæ pabulum crudum indigestumque gregi suo proponant. Contra si publicas privatasque Biblbliothecas hìc inspicias, si studia cordatorum hominum expendas, statim vides, quam omnia

ad

ad pimitivæ Ecclesiæ mentem doctrinamque intelligendam explicandamque tendant. Libri & monumenta antiqua, præsertim sacra, summo studio & impensis maximis undiq; parantur; & in ijsdem publica luce donandis doctorum hominum desudat industria. Ità nuper Græcorum Patrum in Prophetas commentarijs, alijsque in vetus Testamentum, quas vocant catenis, non uno volumine comprehensis, immorientem vidi optimum doctissimumque Corderium, alios Concilijs antiquis & SS. Patrum operibus ab interitu vindicandis; alios historiæ ecclesiasticæ Annalibus procudendis occupatos novi; & nè quid in tenebris lateat, quo fides catholica illustrari possit, sunt qui veterum Christianorum cœmeteria cryptasque Martyrum ingenti Romæ subterraneæ opere descriptas in lucem edant. Ità unus omnibus antiquitatis retinendæ amor, novitatis aversatio. Eadem mihi novæ sectæ deserendæ, eadem antiquæ fidei amplectendæ causa, ad quam te & Vossium nostrum iterum atq; iterum invito, certissimè æternæ salutis lucro, quod extra Catholicam Ecclesiam frustra speratis. Hoc tandem, mi Calixte, rogo, quod ille in simili caussa apud S. Augustinum; si institutum & exemplum meum piget imitari, noli adversari. Vale. Romæ, Anno Jubilei MDCL, Kal. Septembris.

